This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Geography-History: Ancient: Rome: Mela
/ I 2)

POMPONII MELAE

DE

SITV ORBIS

LIBRI TRES.

AD PLVRIMOS CODICES MSSTOS VEL DENVO VEL PRIMVM CONSVLTOS ALIORVMQVE EDITIONES RECENSITI

CVM NOTIS CRITICIS ET EXEGETICIS

VEL INTEGRIS VEL SELECTIS

HERMOLAI BARBARI, IOACH. VADIANI, PETRI IO. OLIVARII, FREDENANDI NONII PINTIANI, PETRI CIACCONII, ANDR. SCHOTTI, IO. OPORINI, PETRI IO. NVNNESII, IS. VOSSII, IAC. ET ABR. GRONOVIORVM, ET IAC. PERIZONII, NEC NON MSSTIS IO. GEORG. GRAEVII, IAC. GRONOVII, ET PETRI BVRMANNI, CONLECTIS PRAETEREA ET ADPOSITIS DOCTORVM VIRORVM ANIMADVERSIONIBVS

ADDITIS SVIS

A

CAROLO HENRICO TZSCHVCKIO

A. M. SCHOLAE REGIAE MISNENSIS RECTORE, ET SOCIETATIS LATINAE IENENSIS SOCIO.

ASTOR LIBRARY NEW-YORK

VOLVMEN I.

LIPSIAE 1807

SVMTIBVS SIEGFRIED LEBRECHT CRVSII.

I 13

ЬЛВГІС
МЕЛ АОІЖ

LECTORI

AEQVO ET BENEVOLO.

Cum primum Melae editionem adparare inſtituiſſem, minime futurum eſſe putavi, ut in eam illa molem excreſceret, quae, ut me ipſum ſubinde delaſſatum obruit, ita, ſi alios, qui uno tenore et ſine mora eam emetiri et ſubigere conentur, deterruerit, haud equidem mirabor. Nempe quo longius in ipſo operae curſu progreſſus eram, eo magis magisque uſu edoctus intellexi, quantum hic liber inde a prima aetate a typographis et editoribus per varias

formas verſatus disiectusque eſſet, ſic ut in plerisque locis plane alius videatur, verusque Mela vix dignoſci poſſit. Ne igitur ſimpliciter nudeque idem neglectaque exploratione et perſcrutatione redderetur, ad remotiſſima tempora redeundum erat, quae ſcriptis codicibus eum exhibuerunt. Neque tamen in his licebat adquieſcere. Quod enim dolendum eſt, etſi ſingulari liberalitate virorum doctorum, quorum nomina in ipſo codicum recenſu gratus adpoſui, exceptus adiutusque ſat magnum eorum numerum conquiſiveram, alios ex adnotationibus interpretum cognoveram, pauciſſimi tamen aetatem tulerunt et ultra ſaeculum 15 *aut* 14 *adſurgunt, omnes autem ita vitiis turpiſſimis inquinati ſunt et corrupti, ut ex eorum lectionibus vera populorum et regionum nomina ſaepe aegre extricare aut exquirere poſſis, ſed ſaepiſſime ad coniecturas relabi cogaris.*

Quae quidem ut certa lege regerentur, in conſilium adhibendi erant auctores veteres, qui de regionibus et locis vel data opera accuratius expoſuerunt, vel per connexum aliarum rerum et quaſi in tranſitu aliqua adſperſerunt. Audiendi denique erant viri eruditi, qui in emendando et reſtituendo Mela deſudarunt, ex quorum omnium comparatione ea exquirerentur et iudicarentur, quae ad inſtaurandam Melae integritatem aliquatenus valerent. In quibus quidem digerendis et accommodandis, ſi qua parum cavit incuria, vel graviora muneris negotia interpellarunt, vel ſomnus aut taedium fatigato obrepſit, vel, ſi quid durius habes, negligentia multa effudit, humaniter id, aeque lector, excuſes vel leniter moneas. Sin vero ad veteris Geographiae, ex ipſis fontibus hauſtae, uſum plura transferri poſſe intellexeris, iis ita utaris, ut ad compenſandos,

vel redimendos errores, in tam vaſto per terrarum orbem curſu vix evitabiles, revocari lubenter patiaris. Ut vero laboris ſuſcepti fructus etiam a iuvenibus, noſtrarum rerum ſtudioſis, percipi poſſint, providebitur editione minori, quae potiora in ſummam contracta dabit. Ita vale, et meis conatibus fave. Scr. Miſnae in Regia ſchola Miſnenſi d. 28. *Maii* 1807.

DISSERTATIO

DE POMPONIO MELA EIUSQUE LIBRO.

AUCTORES PRAECIPUI, QUI DE EO EXPOSUERUNT.

PETRUS IO. NUNNESIUS in epiſtola de patria Pomponii Melae ad Andr. Schottum, quam repetendam curavit A. Gronovius in ed. P. Melae an. 1748. p. 521 ſqq.

G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis Lib. 1. c. 25. pag. 42.

NICOL. ANTONIUS in bibl. Hiſp. vet. Lib. 1. cap. 11. Tom. 1. p. 65. ed. Bayerii.

I. ALB. FABRICIUS in bibl. Lat. T. 2. cap. 8. p. 75 ſqq. ex ed. Erneſtii.

IO. NIC. FUNCCIUS de imminenti L. L. ſenectute cap. 9. §. 34 ſqq. p. 526 ſqq.

G. E. MÜLLER in libro Einleitung in die Lat. Schriftſteller T. 5. P. 2. p. 415 ſqq.

GE. CHRISTO. HAMBERGER in libro: Zuverläſſige Nachrichten — T. 2. p. 33 ſqq.

IO. GE. HAGER in libro: Geographiſcher Bücher-Saal T. 2. P. 7. p. 483 ſqq.

Praeterea editores, ut VADIANUS, VINETUS, SCHOTTUS, KAPPIUS in praefationibus.

CAP. I.

DE MELAE NATALIBUS.

[1])Pomponius mela et de gente, et de patria, et de tempore quo vixit, multas excitavit doctorum virorum disputationes, nec, cum vetuſti auctores de eo nihil ſcriptum reliquerint, ultra coniecturas, et ea, quae ex ipſius libro conlatis indiciis efficiuntur, progredi licet. Nomen *Pomponianam* gentem praefert, quae cum clara et [2]) equeſtri ſplendore ornata fuerit, eandem et Noſtro tribuunt dignitatem, adoptionis legibus vel ipſi, vel maioribus tributam, ita ut ex Hiſpanica origine ad Romanae civitatis iura tranſierit. Sunt, qui Annaeorum genti adſcribant, et vel Marci Annaei Senecae, rhetoris, filium, vel ex Luc. Annaeo Seneca, philoſopho celeberrimo, nepotem [3]) faciant. Qui priorem ſententiam amplectuntur, adminicula quaerunt ex libris M. Ann. Senecae, rhetoris, decem controverſiarum libris celebrati, quippe qui reliquit tres filios, *M. Annaeum Novatum*, *L. Annaeum Senecam*, praeclarum illum Senecam, et *L. Annaeum Melam*, quorum etiam nominibus librum 1. et 5. controverſiarum inſcriptum

1) Codices et veteres editiones ſcribunt plerumque *Pomponius Mella*. Plinius in indice auctorum libri tertii inverſis nominibus vocat *Melam Pomponium*, quae ratio in aliis etiam ſaepe notatur.

2) V. Corn. Nepos in vita Attici cap. 1. et Patinus de familiis Rom. p. 223.

3) Cf. Hager p. 484 ſq. c. I. Dietz in praefat. ad interpretationem German. Melae p. 18.

esse [4]) constat. Nec, si temporis rationem ineamus, huic sententiae inesse videtur, quod adversetur et repugnet. Notum est enim, Senecam philosophum puerum Romam deductum fuisse a. u. 772. annos fortasse, quod sumere, hac data aetate, liceat, circiter 10 natum, ex quo fratri minori 8 annorum aetas tribui potest. Cum vero Imperator Claudius de domita Britannia [5]) triumphum egerit a. u. 797. adtigit tunc Noster annum aetatis 30. eoque librum suum [6]) conscripsit, et, si a. u. 820. ipse se [7]) trucidavit, vixit annos 50.

At, ne quid dissimulem, sunt tamen alia, quae huic sententiae refragentur. Nec enim dicendi forma et ratio Annaeae gentis orationem et instituta refert, nec, si quis leve hoc argumentum in diversis fratrum naturis, sensibus et ingeniis existimet, cum [8]) frater in exsilium a Claudio missus apocolocyntosin effudisset, [9]) laudasse hic videatur illum imperatorem, ut taceam, non *Melam* a Ta-

4) Cf. Opsopoeus ad lib. 1. in. et in primis Lipsius in vita Senecae descripta cap. 2.

5) A. u. 796. A. Plautius exercitum in Britanniam traiecit, (Dio 60, 19.) anno post Claudius triumphavit. (Id. 60, 23.)

6) Unde orationis vigor, verborum ornatus et rerum descriptarum colores facilius intelliguntur.

7) Vid. Tacitus Annal. 16, 17.

8) Adtigit Kappius in praefatione; infringere studuit Hager c. l. P. 3. p. 300.

9) Nempe Seneca primo imperii anno in exsilium a Claudio missus est, expeditio Britannica, quam cum laude eius commemorat Noster 3, 6, 4. suscepta est anno tertio.

cito produci, ſed *Mellam*, quae forma etſi etiam in priſcis libris de Noſtro reperiatur, ſcribendi potius vitium videtur, vel quod Mellaria ortum eum [10]) crederent.

Graviſſimam vero dubitationem obiicere videtur nomen Pomponii, omiſſo Annaei. Si enim, quod de maximo natu fratre legitur, et hic adoptionis iure in aliam gentem, Pomponiam, migravit, eius tamen legibus et inſtitutis Annaei certe nomen non abiicere, ſed novae familiae inferre debebat. Quod factum eſſe cum nusquam reperiatur, et hiſtoria plane hanc coniecturam deſtituat, ſed Mellae nomen in bonis libris obvium a Noſtro Mela potius avocet, vaga illa eſſe, quivis intelliget.

10) Non enim ſolum plurimi codices, ſed et editiones ante ſaec. 15. et initio 16. praeferunt *Mella*, et ſic Ptolemaeus Romae 1508. f. in cuius editione multa ex Noſtro repetuntur, exhibet *Mella*, ut Boccatius de genealogiis 9, 33. 10, 12. et paſſim, etſi etiam Mela legitur. Nempe τὸ *l* geminare ſolent librarii in multis nominibus, ut exemplis adpoſitis docet Cannegieter. ad Aviani ſab. 10, 9. p. m. 76. *Melam* tamen hac forma protulerunt olim etiam alii, qui eius mentionem iniecerunt, ut Freculphus Chronicor. T. 1. lib. 2. cap. 16. ubi locum eius ex lib. 3, 6, 7. de Scanza (ſic) fiſtit, et de 30 Orcadibus ex proxima narratione Scholiaſtes Iuvenalis ad 2, 160. Melam etiam ſic agnovit Hermolaus Barbarus et poſt recentiores omnes ſecuti Plinium ſupra indicato loco n. 1. Quod ſi vero a Mellaria patria nomen ſortitus eſſet, non Mella adpellandus erat, ſed *Mellarius*, ut recte monet praeter alios, grammatica lege ductus, Vadianus, quidquid contra moliatur Nunneſius.

At nullo fundamento altera ſententia nititur, licet id ponat [11]) Fabricius, et [12]) Hagerus non ſolum recte id et probabiliter ſtare poſſe adfirmet. Quae enim in hanc rationem disputantur, nihil ea evincere arbitror, cum hiſtoria nihil eiusmodi adferat, immo [13]) Seneca philoſophus Marcum filium unice inducat. Porro ſi Seneca pater, triumphante Claudio, [14]) annum circiter 30. demum agebat, tunc filius 10 fere annos natus eſſe poterat, in quam aetatem non cadunt libri et rebus impediti et ſcribendi forma graves. Quae denique de morte Mellae apud [15]) Tacitum et [16]) Plinium narrantur, licet discrepent aliquantum, ſi ad unum referas, nec [17]) emendationibus ſuccurras, ad illum Melam, vel Mellam pertinent, de quo primo loco eſt expoſitum.

Ex Pomponia gente celeberrima eius originem derivandam cenſet [18]) Müllerus, quod tamen hinc refutat [19]) Hagerus, quod Mela ipſe ſe non Roma-

11) In bibl. Latina Vol. 2. p. 475. At recte id ſubmovit Erneſti, qui fratrem illius fecit.

12) c. l. His vero momentis impulſus ad opinionem de Senecae filio propendet: Senecae fuerunt Hiſpani, Mela item; illi ex Baetica orti, hic etiam; Seneca rhetor filium habuit nomine Melam, cur non et philoſophus; poteſt a patruele, Annaeo Mela, adoptatus eſſe.

13) In conſolat. ad Helviam cap. 16. f.

14) Cf. ſuperior ratio et computatio.

15) c. l.

16) 19, 33. f. 6.

17) Ut ſuadet Hagerus T. 2. c. l.

18) Einleitung — der alten Lat. Schriftſteller T. 5. p. 417.

19) P. 490. c. l.

num, ſed Hiſpanum referat, et Pomponia gens a [20]) Pompone, Numae regis filio, ducatur; in quo quidem, quid ferrent [21]) adoptionis leges, parum curaſſe videtur. Praeſtat igitur in re incerta et in varias partes agitata ignorantiam fateri, quam dubio pede huc illuc vagari.

CAP. II.

DE MELAE PATRIA.

Aliam disputationem illa quidem aliquanto graviorem et impeditiorem movit quaeſtio de Melae patria. Licet enim [1]) ipſe mentionem eius faciat, tot tamen tantisque et lectionum varietatibus et opinionum concurſibus ille locus iactatur, ut, ubi conſiſtere poſſis, vix reperias. Quam enim quisque lectionem ſuſtinendam putat, eam etiam ad Melae natale ſolum accommodat, ita ut ab aliis praeferatur [2]) *Tingentera*, alii, iidemque maiori numero malint [3]) *Mellariam*. Aliis placet

20) V. Plutarch. in Numa cap. 21.

21) Cf. Sigonius de nominibus Romanor. Opp. Vol. 6. pag. 40. Harduinus in operr. ſel. p. 691. praeter alios.

1) Lib. 2, 6. f.

2) Vid. ad c. l. not. crit. p. 455 ſqq. ubi et aliorum diverſas ſententias habebis expoſitas.

3) Sic ſtatuit cod. Lipſ. auctor in margine, etſi in ipſo contextu legitur *Mellana*, quod et oſtendunt alii codices. Poſt plures alii eandem opinionem foverunt, in quibus Hermolaus, Vadianus, Pintianus, Nunneſius, Vurſtiſius, Caſaubonus ad Strabon. lib. 3. p. 96. f. 140. (ubi leg. cenſet *Tingi e regione ſita Mellaria*) Vaſconcellus ad Reſendii antiqu. Luſitan. lib. 5. p. 10. Ambroſius Moralis 9, 6. Io. Mariana 4, 2. Io. Vaſaeus in Chron. Hiſpan.

[4]) *Tarteſſus*, quam poſt *Cartejam* dixerunt, nunc *Algeziram*. *Tariffenſes* hodie, notante [5]) Olivario, civem ſuum iactant. Nempe *Tariffa* olim *Belo* dicta eſt. Plerique in *Tingi* haerent, etſi vario modo eam urbem deſignant. Sic [6]) aliis ſimpliciter eſt *Tingi*, h. *Tanger*, aliis [7]) *Tingi Ibera*, vel [8]) *Tingi altera* ſ. *Cetraria*, quam eandem putant *Iuliam Traductam*, *Iuliam Iozam*. Sententiam [9]) alii cohibent, nec liquere pronuntiant.

Etſi difficile eſt, lites illas componere, natalique Melae urbi ſuum nomen adſerere, loco tamen iſo adtente conſiderato, preſſiusque librorum veſtigia ſecutus, eam opinionem propius ad verum conlineare exiſtimo, quae *Tingenteram*, vel *Cingenteram* praeferat. Illa enim lectio non ſolum ex

ſ. a. Chriſti 44. Brietius in parallelis Geogr. P. 1. lib. 1. cap. 3. Hager p. 497. c. l. ubi de ſitu disquirit, alii.

4) Uti Schotto, Sanctio, Clementi in ſpecimine bibl. Hiſpano-Majanſianae pag. 13. quippe qui 2, 6. ſ. legendum cenſet: *atque inde nos ſumus*.

5) In praefat. ad Melam. Sed quae ex narrationibus incolarum monumenta innuit, non adtulit.

6) Cf. Belley in Memoires — de Paris T. 38. p. 116.

7) Sic Nicol. Anton. in bibl. Hiſpan. vet. Tom. 1. lib. 1. cap. 11. p. 50.

8) De Tingi altera vid. Salmaſ. cap. 27. ſ. 24. p. m. 204. Bochart. in Chanaan 1, 24. qui eandem faciunt Iuliam Iozam Strabonis c. l. Iuliam Traductam Prideaux ad marmora Oxon. n. 57. p. 190. ed. an. 1676. Mazochius ad tab. Heracl. T. 1. pag. 66. T. 2. pag. 544. quae eſt Caetraria Voſſii, qui Caetrarienſem natione, genere Poenum facit. Cf. ad Melam c. l.

9) Sic Gonzalez de Salas in noticia tercera ad calcem interpretat. Hiſpan. Hamberger c. l.

codicum ſcriptura facile eruitur, ſed et olim in priſcis editionibus adnexa ſyllaba *tum* ſtetit, donec Hermolaus Barbarus primum inverteret, et, ut Melam Mellariae alumnum, nominis forte ſono adlectus, reddere poſſet, inde *cingente freto* effingeret, quod in alios deinceps libros migravit. Ita vero, ſi lectionem illam, *atque unde nos ſumus*, teneas, urbis nomen, quod deſideratur, optime ſubiicitur, Noſtroque uſitata orationis forma redditur, quam in ſimili nexu ſequi ſolet. Saepe enim ille eodem modo dicit, *atque unde*, ut nomen regionis, urbis et loci ſententiam [10]) claudat. Quam facile autem adhaerere potuerit *tum* voci *Tingentera*, vel *Cingentera*, nemo eſt, quin intelligat, in primis ſi lectionis uſu edoctus cogitaverit, quam lubenter Mela in progreſſione curſus ad nova loca commemoranda variandi cauſa particulis *poſt*, *exin*, *inde*, *dein*, *deinde*, *tum* uti ſoleat. Licet vero obſcurum et humilem locum, ſive *Tingenterae*, ſive *Cingenterae* nomen geſſerit, quivis facile largiatur adverſantibus, non tamen, ſi reliqua apto ordine et nexu ſtent conligata, id impedit, quo minus patriam facta eius mentione gratus praedicaverit, et apud poſteros quaſi nobilitaverit.

10) Cf. 1, 8, 2. 1, 19, 8. 2, 2, 5. 2, 3, 1. 2, 5, 2. 2, 6, 6. 2, 7, 13. V. Kappius in praefat. ad Melam, ubi iſta loca indicavit, quae et aliis augeri poſſint.

CAP. III.

DE AETATE MELAE.

Hinc vero clarior lux effulget et luculentiora ſigna adparent ab ipſo Mela expreſſa, ex quibus non tam coniectura fieri, quam iudicio certo evinci poteſt, quo tempore ille vixerit. Quod enim in deſcriptionibus regionum et urbium ſaepe uſu venire ſolet, ut, ſi temporum comparationem ingrediamur, multa immutata, aut novata deprehendamus, id in Mela etiam certiſſimis indiciis comprobatum intelligemus. Cum igitur *Solorum* mentionem iniicit ita, ut *Pompeiopolis* nomen ſua aetate geſſiſſe [1]) adfirmet, ante Pompeium certe vixiſſe non potuit, quo adſignante nominis illa mutatio demum innotuit. Eadem fere tempora adtingit aetas Cornelii Nepotis, cuius auctoritatem et fidem [2]) laudat. Commemoratur porro [3]) *Iol*, quam ſuo tempore *Caeſaream* vocitatam ſcribit, unde [4]) quidam Iulii Caeſaris aetate vixiſſe exiſtimarunt; minus tamen recte, cum novum illud nomen ſpectet potius Auguſtum, cuius liberalitate in regnum reſtitutus erat [5]) Iuba. Tum adiecta verba, *quae Iubae regia fuit*, poſteriora Iulio Caeſare vel etiam ipſo Auguſto tempora indicant.

1) 1, 13, 2.
2) 3, 5, 8. 3, 9, 5.
3) 1, 5, 1.
4) Sic Voſſius de hiſtor. Latin. 3, 1. Crenius in animadverſionibus p. 19. omnino Cocleus in epiſtola dedicatoria, Gonzalez, interpres Hiſpanus.
5) Ut docet Strabo lib. 17. p. 571. f. 831. Cf. ad Melam c. l.

Accedit alia notatio in ſtatuendo ad Anconam Gallicarum Italicarumque gentium termino, qui olim fuit Aeſis, poſt Rubico Caeſaris aetate, ut ex eius rebus in bello civili geſtis [6]) adparet. Auguſti aetatem ſpectant porro [7]) *turris Auguſti titulo memorabilis* in Hiſpania, [8]) *tres arae* in eadem, quas *Seſtianas* vocarunt, *Auguſti nomine ſacrae*, nomen ibidem urbis [9]) *Caeſarauguſta*, quam illo tempore conditam fuiſſe adfirmat [10]) Strabo, [11]) *Auguſta* in Treveris, etſi, quod putat [12]) Petrus de Marca, inde minime conſequitur, ſub Auguſto Melam floruiſſe. Alii alia ſigna ad Tiberii tempora transferunt. Ita cum quidam olim tradiderint, teſte [13]) Euſtathio, *Typhonem* mutato nomine a Tiberio *Orontem* adpellatum fuiſſe, qualem producit [14]) Noſter, eum etiam ultra Auguſti aetatem annis provectum fuiſſe; quod tamen male refutat [14a]) Ballu, dum Melam multis ante natum Tiberium annis vixiſſe putat, itemque [15]) Schottus, quia Mela Tiberii aequalis nihil de eo adtingat, quod tamen eum facturum fuiſſe veriſimile ſit ex narratione de Britannia. Nec magis

6) Cf. Cellarius in Geogr. ant. 2, 9, 35. et notata ad Melam II. 2, 4, 2. et 5. p. 363. et 391.

7) 3, 1, 8.

8) 3, 1, 9.

9) 2, 6, 4.

10) Lib. 3. p. 104. f. 151.

11) 3, 2, 4.

12) In Marca Hiſpan. 1, 4, 3. qui tamen ſimpliciter hoc et ad viam quaſi notat.

13) ad Dionyſ. v. 919.

14) 1, 12. extr.

14*) Ad Oppiani Cyneget. 2, 116. p. 279.

15) Ad Melam c. l.

probari poteſt, quod ſcribit [16]) Ciacconius, multa Strabonem de India ex Noſtro ad verbum fere repetiiſſe, cum contra aliis indiciis evinci poſſit, Strabone mortuo Melam vixiſſe. Sic, ut aliqua adferam, quam urbem [16*]) Strabo Κρούνους vocat, in [17]) Noſtro dicitur *Dionyſopolis*. Quae Melae tempore interciderat *Bizone*, [18]) Strabo terrae motu conquaſſatam quidem fuiſſe et abſorptam, non tamen penitus exſtinctam refert.

Longe autem certiſſimum aetatis indicium exſtat in eo [19]) loco, ubi triumphi meminit, quem acturus ſit de Britannia tunc demum aperta principum maximus. Quod etſi quidam, ut Voſſius, [20]) Crenius, ad Iulium Caeſarem referunt, probari tamen nequit. Hic enim expeditione ſuſcepta Britanniam adtigit potius, quam aperuit, nec de ea unquam triumphavit, quod rectius tribuitur Claudio, quippe de quo diſertis id verbis narrat [21]) Suetonius. Immo ipſe Mela ſatis clare priorem expeditionem indicat verbis: *mox certiora magis et explorata dicentur*. Quod vero Claudium *principum maximum* vocat, nil mirum eſſe debet ex illius temporis more, qui magnifica quaevis de imperatoribus praedicabant,

16) Ad Melam 3, 7, 2.
16*) Lib. 7. p. m. 436.
17) 2, 2, 5.
18) c. l.
19) 3, 6, 4.
20) V. not. 4.
21) In vita cap. 17. Plura notavi ad Melam c. l. II. pag. 195. Conferri etiam poteſt, qui prolixius de hoc diſſeruit, Vadianus in Catecheſi in Geographiam Melae. Acrem quidem nactus eſt adverſarium, Hiſpanum interpretem, at parum validis armis pugnantem.

et effuſis adulationibus omnia in maius augebant. Cum vero Claudius illam expeditionem ſuſceperit imperii anno 3. a. u. c. 796. coniectura haud incerta fieri poteſt de tempore, quo Mela hunc librum conſcripſit. Recte igitur primus Vadianus, quod notavit [22]) Antonius, Claudii aequalem fuiſſe Melam contendit, quem et ſecuti poſtea ſunt Vinetus, Voſſius, alii. Ad Claudii imperium ducunt etiam narrationes de [23]) abolitis Druidarum ſacrificiis, et de [24]) phoenice, qui Claudii tempore adparuit Romamque deportatus eſt, unde inſolentiores etiam digreſſiones in hac libelli brevitate intelligi poſſunt. Nec obſtat, quod [25]) Orcades memorat, quas ante Veſpaſianum et Titum incognitas fuiſſe tradit [26]) Tacitus, cum [27]) alii contra imperio R. Claudium adieciſſe adfirmant. Male igitur aliquis ad Flaviorum tempora aetatem Melae proferat. Gravius aliquanto aberravit a vero auctor editionis Saling. a. 1538. in praefatione, qui Melam Ptolemaei facit aequalem, quia vixerit ante Plinium et Solinum, nec conſtare putat principem illum, qui Britanniam fuerit adortus. Quam vero diu vixerit, et an quinque imperatorum aetatem inde ab Auguſto ad Neronem viderit, uti [28]) Müllerus exiſtimat, parum liquet, cum nec ad coniecturam aditus detur.

22) In bibl. Hiſpana vetere T. 1. lib. 1. c. 11. p. 50.

23) Lib. 3, 2, 3. ubi cf. notata.

24) Lib. 3, 7, 10. V. ibi p. 371.

25) Lib. 3, 6, 7.

26) In Agricola c. 10.

27) V. ad Melam p. 214. c. l.

28) P. 421. c. l.

CAP. IV.

DE LIBRO MELAE EIUSQUE ARGUMENTO.

Inclaruit Mela libro quamvis brevi, elegantiſſimo tamen et utiliſſimo, in quo orbis deſcriptionem Latinorum auctorum primus propoſuit. Titulus, quem praeferunt codices et editiones, maxime quidem variat, ſed, ſi rem ſpectes, ad idem fere redit. Modo enim legitur *Geographia*, modo *Chorographia*, uti etiam adnotatum eſt a viris doctis. Illa quidem hic ſenſu latiori intelligitur, cum etiam mathematica requirat; haec minus recte adponitur, quia Noſter non orbis terrarum partem, ſed totum complexus eſt, et duo illa verba differunt, ut pars a toto, ex ſententia etiam [1]) veterum. Alii codices in fronte praeferunt inſcriptionem *de ſitu orbis*. Sic et in editis libris maxime olim variatum eſt, quippe quibus praeponitur [2]) *Coſmographia*, *Geographia*, *deſcriptio ſitus orbis*, vel *de ſitu orbis libri tres*, in quo titulo inde a longo tempore conſenſerunt editores. Quae quidem varietas ſatis declarat, librarios manus admoviſſe, et, concepta libri imagine, utcumque libuiſſet, titulum adieciſſe, quem ex Graeca in primis lingua petitum doctiorem putaſſent; niſi velis, Graeco verbo a Mela Latinum ſubiectum fuiſſe, quod tamen in hac etiam varietate minus credibile videtur.

1) Vid. Ptolemaeus lib. 1. in.

2) Ita ſolet Boccatius, ubi Melam refert, in Genealogiis, v. c. 1, 15. 9, 33. 10, 12. 12, 25. 13, 1. et alibi paſſim.

Ipſe *de orbis ſitu* ſe dicturum in aditu operis adfirmat, quae et cauſa videtur, cur a plerisque haec inſcriptio probata fuerit et recepta.

Librum autem integrum et immutilato corpore ad noſtram aetatem perveniſſe, et exordium finisque et ipſa narrationis ſeries videtur docere, etſi ſunt, qui 2*) aliter ſtatuant. At, quod dolendum eſt, ita a ſaevis imperitorum et barbarorum librariorum manibus vexatus eſt, ut miſere disiectus distortusque in populorum maxime et locorum nominibus ultimam cladem effugeret. An praeterea maius opus aut ſcripſerit vere, aut commentatus ſit, 3) quaeſitum eſt et disputatum a viris doctis, cui cauſam dederunt verba in praefatione poſita: *Dicam autem alias plura et exactius*, quae tamen commode ad uberiorem explicationem eorum referri poſſunt, de quibus ſtrictim breviterque in prioribus 4 capitibus dixerat.

2*) Sic Pintianus ad Melam 1, 8, 7. non opus integrum, ſed eius tantum fragmentum ad noſtra tempora deſcendiſſe putat, idemque ad 1, 9, 2. vix umbram eius ad nos perveniſſe credit. Certe Servius ad Virgil. Aen. 9, 31. ex Mela de Gange 3, 7, 6. adfert aliqua, quae libri noſtri ignorant. Cf. ad c. l. Sic noſtra aetate Bährens in Anzeige der Gr. und Lat. Schriftſteller p. 220. et Eſchenburg in Handbuch der klaſſiſchen Literatur p. m. 246.

3) V. ad praefat. I. p. 9 ſqq. Sic *alias* de maiori opere intelligit Andres dell' origine, progreſſi — d'ogni letteratura (1787) T. 3. p. 424.

Qualem autem librum hunc hodie habemus, ita in regionum et locorum deſcriptionibus inſtitutus eſt et compoſitus, ut aptam rerum ſeriem iuſtumque ordinem vix, aut raro deſideres. Cum enim primo ſummam totius praecipuasque terrarum orbis partes paucis complexus adtigit, inde a Mauretania egreſſus circumvectusque maritimo curſu ſingulas regiones, litora earum legens, potiora loca interius exteriusque ſita, adſperſis paſſim iis, quae in ipſis incolisque memorabilia eſſent, perſequitur, donec eo, unde curſum inſtituerat, revertitur. Cum enim, ut ipſa libri expoſitio docet, in animum induxiſſet, inſigniora tantum loca ſtringere, quare etiam multa aliis memorata praeteriit, et noſſet, maritima loca et frequentiora ſemper fuiſſe et magis exculta, hoc curſu uti et, ut litora procurrunt, quaecunque adtigiſſet, ea etiam calamo ſequi et notare maluit. Duobus igitur libris prioribus oram interni maris utpote frequentiorem et celebriorem deſcribit, tertium iis regionibus tribuit, quos cingit Oceanus.

Ut autem ſumma totius libri, et quas complectitur terrae partes, in uno conſpectu poſitae, adpareant, hunc ordinem tenuit Mela: In libro 1. facta terrae partitione partiumque brevi deſcriptione a *Mauretania* orditur, ultima maritimae Africae in occaſum et fretum Gaditanum regione. Inde in ortum Aſiam verſus egreſſus *Numidiam*, *Africam* proprie ſic dictam, *Cyrenaicam*, *Aegyptum*,

Arabiam, *Syriam*, *Phoenicen*, *Ciliciam*, *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Cariam*, *Ioniam*, *Aeolida*, *Bithyniam*, *Paphlagoniam*, et quae inde prope Pontum, Boſporum Cimmerium et paludem Maeotida expoſitae ſunt regiones et gentes ad Rhipaeos usque montes, qui Aſiae terminum ſtatuunt, proſequitur.

Libro 2. inde digreſſus ripam Tanais et oram Maeoticae paludis Europaeam, et qui eam occupant, *Scythas Europaeos* perſtringit, altero latere a Taurica Cherſoneſo Euxini litus ad Byzantium usque pervectus, ubi Thracia obverſatur, quam excipiunt deinceps inſtituti curſus ſerie *Macedonia*, *Theſſalia*, *Hellas*, *Peloponneſus*, *Epirus* et *Illyricum*. Subſequuntur gemina Italiae litora, *Gallia Narbonenſis* et Hiſpaniae litus ad fretum usque, unde coeperat. Hinc ad Tanais oſtia iterato curſu reverſus inſulas in interno mari ſitas recenſet.

Libro 3. internum mare egreſſus oram Hiſpaniae occiduam et ſeptemtrionalem perſequitur, quatenus Oceano adtinguntur. Hinc *Galliarum* ad Oceanum, *Germaniae*, *Sarmatiaeque* tractum in *Scythica* usque *litora marisque Caſpii* in terras ingredientis fauces deſcribit, gentibusque aliquot enumeratis Oceanique inſulis per Eoa litora *Indiae* ad Gangis oſtia vertitur. Cuius maritimo tractu luſtrato per *Carmaniam*, *Perſas*, *Arabas*, quatenus oras habitant, in interiora Africae loca exſpatiatur. Sic prope omnibus, quae innotuerant, expoſitis in

occidentalem Libyae oram verſus Aethiopas Heſperios progreditur, tandemque, unde coeperat, in *Mauretania* ad *Ampeluſiam* promontorium ſubſiſtit.

Ex quo ſatis adparet, maiori ſtudio et prolixiori narratione oram interni maris eum deſcripſiſſe, ut hominibus et rebus inluſtriorem, unum eumque tertium librum externis regionibus dediſſe.

Opus illud ipſum iam olim antiquiſſimae editiones cum codicibus in tres libros diviſum exhibebant, quorum primus ſine numero tamen capitum ſegmentis factis inſcriptisque tres orbis terrarum partes indicat, cum Aſiae et Africae particulari deſcriptione, reliqua diſpertitis tantum libris ſeparatisque paullum regionibus uno fere tenore ad finem usque procedunt. Hinc poſteriores capita numerarunt, praefixis potiorum regionum titulis, plura modo, modo pauciora, quae variatio ſatis declarat, librariorum illa et editorum ingenio et arbitrio eſſe [4]) invecta, ut taceam, aliqua verba aetatem Melae nondum tuliſſe, in quibus ſunt *particularis*, [5]) *mediterraneum mare*, quod Romani ad-

4) Sic recte iudicat Schottus ad 1, 1. in. Voſſius tamen ad 3, 10. in. capitum diviſiones et inſcriptiones ad remotiora tempora et ad ipſum Melam videtur reiicere, quod ibi in titulo fuerit ſcriptum: *Atlas et Atlanticum pelagus*, quare non opus fuerit, vocabulum *Atlantis* repetere.

5) *Mediterraneus* per ſe quidem vox eſt proba et paſſim obvia, at in hoc nexu apud poſteriores demum occurrit, veluti Iſidor. orig. 13, 16. in. Sic *Pontus mediterraneus* legitur in inſcriptione apud Murator. inſcrr. 695, 1. Cf. ad Melam I, 1, 1, 4. p. 46.

pellare ſolent *Noſtrum mare*, vel omnino *internum*. Hinc vero factum eſt, ut editores capitum numero inter ſe discreparent, pauciora alii, alii plura [6]) deſignarent.

An ipſum librum Romae ſcripſerit, ut putat [7]) Voſſius, quod citra Tiberim in eo latere loca perſequatur, quorum ſitus aliter conſtare nequeat, non eſt quidem a vero alienum, etſi certi aliquid ſtatui nequit.

CAP. V.

DE PRAECIPUIS LIBRI VITIIS ET VIRTUTIBUS.

Cum in tam vaſto terrarum orbe non labi paene monſtri ſimile ſit, uti recte pronuntiat [1]) Reſendius, in primis ſi cogitemus, quam parum ille veteribus fuerit exploratus, nec ſingulas regiones et loca ab ipſo Geographo adiri et perluſtrari poſſe, quam porro difficile fuerit in ea, quae tunc fuit, librorum penuria et caritate, aliorum narrationes et deſcriptiones conquirere et percipere, nemini mirum videri poterit, ſi Mela, nimis illorum auctoritate confiſus, vel incurioſe re-

6) Recentiores fere libri primi faciunt capita 19. Reinoldius etiam 22. cum antiquiores habeant tantum 6. vel etiam plura 20. et 21. Idem obſervatur in reliquis libris. Equidem retinui ordinem a Gronoviis inſtitutum, quia non tanti erat, facta immutatione libri huius uſum turbare, vel impedire.

7) Ad 2, 4, 9.

1) In antiquitatt. Luſitan. lib. 1. p. 10.

rum expoſitarum delectu habito, a vero in multis aberraverit. Cuius quidem culpa cum in illos auctores maximam partem transferri poſſit, tum ipſe ſolus reprehendi debet, ſi parum certam et conſtitutam rationem in hoc argumento tractando ſequitur, nec, quae profeſſus eſt, ipſa re praeſtat.

In quo primum hoc notandum videtur, quod cum fingat maritimum curſum, non tamen eum ſemper tenere, ſed ſubinde conſiſtere, egreſſumque navi et exſpatiatum vicinas terras obiiſſe et inviſiſſe, cuius vel unum exemplum in [2]) Graeciae deſcriptione commemoraſſe ſufficiat, ut ex urbibus praeteream [3]) *Pellam* aliasque plures. Si tamen hoc vitium, leve illud ſit et excuſabile, cum ad certum ordinem tenendum ſeriemque rerum perſequendam expeditior illa via pateat, nec, qui navibus vehuntur, ubi memorabilia ſe in vicinis terris deprehenſuros eſſe noverint, ab earum aditu et inveſtigatione excluſi ſint. Attamen inde gravius oboritur, quod, cum ita inſtituiſſet, a ſuo ipſe conſilio deſcivit, et, cum clariſſima quaeque ſe ſtrictim dicturum eſſe [4]) adfirmaſſet, multa tamen loca praeteriit, quae propter celebritatem indicare recte poterat, aut potius debebat, in quibus ſunt *Cannae*, *Munda*, *Ecbatana*, *Hieroſolyma*, *Pharſalus*, *Perſepolis*, *Leuctra*, *Mantinea*, *Stagira*, quod

2) Lib. 2, 3.
3) Lib. 2, 3. in.
4) In praefatione.

nomen pro *turri Calarnaea*, ſatis ignobili, reponebat [5]) Pintianus, et in textum recepit Schottus. Sic *Nicopolim* deſiderat [6]) Ciacconius, miraturque neglectam, ut [7]) *Cajetam*. Sic celebres fontes ſilet, ut *Aganippen*, *Caſtalium*, *Hippocrenen*, cum obſcuriores etiam commemoret, quod idem fecit in locis et fluminibus. *Scandile* humilis et tenuis inſula inſeritur, quare eum etiam notat [8]) Voſſius, deeſt *Pactolus*, ex montibus *Helicon*, *Tmolus*, alii. Alia tamen videtur caute ſilentio praeteriiſſe, quod gravioris calamitatis memoriam in Romanis excitare nollet, ut *Carras*, *Cannas*, *Trebiam* fl. *Traſimenum* lacum. Ne tamen ultra modum proferatur illa reprehenſio, notandus eſt mos Auctoris, quo multa loca tecte indicat ſub regionibus cognominibus, ut [9]) *Antiochiam*, [10]) *Smyrnam*, [11]) *Damaſcum*, urbesque alias plures, de quibus notae monent. Cum *Helvetii* abſunt, Gallis eos complexus eſt, ut *Peucetios* Calabris, tanquam ſynonymos, ut putat [12]) Mazochius.

Verum enim vero, unde multa melius intelligi et lenius iudicari poſſunt, non tam ſuae aetatis geographiam exhibuit, ſed ultra Alexandrum M. et Philippum deſcendit, adeoque antiquiora illis paſſim

5) Lib. 2, 2, 9.
6) Ad 2, 3, 10.
7) Ad 2, 9, 9.
8) Ad 2, 7, 8.
9) Lib. 1, 12. extr.
10) Lib. 1, 17. extr. ubi cf. Voſſius, paſſimque I. Gronovius.
11) Lib. 1, 11, 1.
12) Ad tab. Heracl. P. 2. p. 544.

captat, et, quae olim fuerit locorum facies, qui fuerint incolae eorumque mores, commemorat.[13]) Hinc in recenſum producit *Styra*, *Lycaſtum*, *Olynthum*, *Marathon*, alia, uti ſolent, qui aliorum fidei ſua debent, nec omnia [14]) ipſi tentarunt et explorarunt. Hinc quae ex Herodoto transtulit, etiam tunc ipſius tempore ſtrident [15]) *Troglodytae*, nudi ſunt [16]) *Gamphaſantes*, armorumque omnium ignari, in [17]) *Arethuſa* fonte ſpectantur iacta in Alpheum, [18]) *India*que alit formicas non minus maximas canibus. Sic [19]) *Phaeaces* et [20]) *Pyraeos* in priſtinas ſedes reducit, aliosque, qui olim viguerant.

Porro antiqua nomina retinet, ubi nova ſucceſſerant, cuius exempla ſubminiſtrant *Myrlea*, *Cios*, *Seſamus*, *Potidaea*, alia contra, duobus nominibus deceptus, tamquam diverſa adfert, quo nomine notatur de [21]) *Boryſthenide* et *Olbia*, de [22]) *Cruno* et *Dionyſopoli*, etſi in eo ab aliis defenditur.

Praepoſtero alia ordine recenſet, ut [23]) *Lyciam* et *Pamphyliam*, [24]) *Arabicum mare* et *Perſicum*,

13) V. ad 2, 7, 9. et alibi.

14) V. Dodwell. in diſſert. de Scylace §. 15. pag. 59. de Marciano §. 4. p. 148 ſq. in Hudſoni Geogr. minor. Vol. 1. Voſſius ad Melam 1, 11. extr.

15) Lib. 1, 8, 6.

16) Lib. 1, 8, 9.

17) Lib. 2, 7, 16.

18) Lib. 3, 7, 2. Cf. Iac. Gronov. in Geogr. antiqu. P. 58.

19) Lib. 2, 3, 11. et 13.

20) Lib. 1, 19, 3. 4. et 8. 2, 2, 11.

21) Lib. 2, 1, 6.

22) Lib. 2, 2, 5.

23) Lib. 1, 2, 6.

24) Lib. 1, 2, 1.

[25]) *Hyrcanos* et *Caduſios*, [26]) *Achajam* et *Elida*, [27]) *Calatin* et *Tomos*. Idem in ſingulorum ſitu obſervatur, vel in diſceptationem venit, de [28]) *Beryto*, [29]) *Azoto*, [30]) *Coſſentia*. Sui oblitus fuiſſe videtur, cum [31]) *Leucada*, oppidum Leucadiae, in Acarnania recenſet, cum poſtea Leucadiam ipſam inſulis ſeorſum adnumeret.

Confuſiones tamen aliquas in locorum ſitu notando intuliſſe videntur librarii, qui male multa disiecerunt, nomina etiam ita deformarunt, ut vera ſcriptura vix erui poſſit, aut etiam depravatae lectiones ab editoribus quibusdam receptae. Hino [32]) Cluverius non recte Noſtrum in [33]) *Senogalliae* ſitu erroris incuſat, quem non admiſit. Gloſſas vero in textum irrepſiſſe, ſatis aperte aliqua loca manifeſtant. Sic temere in multis [34]) libris obtruditur *ſcilicet*, et [35]) alibi *pecorum*, narratio etiam de [36]) *Antandri* nomine, quod videtur, integra. Sed haec non proxime pertinent ad Geographicam deſcriptionem, quae hic in primis ſpectatur. Quantas tamen clades et iniurias tulerit etiam in ea, quan-

25) Lib. 1, 2, 5.
26) Lib. 2, 3, 4.
27) Lib. 2, 2, 5. Cf. ad I. 1, 2, 6. p. 93.
28) Lib. 1, 12. f. ubi cf. Perizonius idemque de aliis ad 1, 2, 6.
29) Lib. 1, 10.
30) Lib. 2, 4, 8. ubi cf. not. crit. p. 338.
31) Lib. 2, 3, 10. et 2, 7, 10.
32) In praefat. ad German. antiquam.
33) Cf. ad I. 2, 4, 6. pag. 308 ſq.
34) Lib. 1, 9, 6.
35) Lib. 2, 1, 11.
36) Lib. 1, 18, 2.

taque librariorum commenta acceperit, luculenter et ad faſtidium usque docere poſſunt notae criticae, ex quibus adparet, ſi quis alius, Melam miſere iactatum fuiſſe et vexatum. Exempla eiusmodi multa notavit paſſim cum aliis Pintianus, plura etiam largiori copia [37]) congeſſit, ut *Murranos* et *Vegetos* in ora maris interni, in Gallia *Eluſaberrim*, in Thracia *Tritonicen*, in Scythia *Terreſtriam*, *Sexcolitas*, in Leſbo *Ciravam*, in Oceano ſeptemtrionali *Satmalos*, quorum monſtrorum numerus facile magno cumulo augeri poſſit, etſi poſt pleraque ad probabilem et veriorem formam revocata ſunt.

Ubi tamen vere aperteque in ſtatuendo ordine erravit, ita eum excuſandum putant, in quibus [38]) Ciacconius, quod ornatum orationis nominum confuſa citatione impedire noluerit, etſi parum id valet ad excuſandam ordinis negligentiam in opere maxime geographico, cuius haec praecipua virtus exiſtimatur. Videtur id ipſe Mela ſenſiſſe, et errorum in eo admiſſorum gratiam praeoccupare voluiſſe, dum de *perplexo ſatis locorum ordine* lectores in praefatione monet, et [39]) alibi Tenedum aliasque inſulas, eo quo dicturus ſit ordine, ad Tauri montis promontorium expoſitas eſſe, adfirmat, cum tamen omnino ſe litora ordine, quo iaceant, ſtricturum eſſe, [40]) profiteatur.

37) Vid. ad 1, 2, 5. Contra idem paſſim, ut 1, 8, 7. Melam ex Herodoto 4, 180. auget.

38) V. ad Lib. 1, 18, 2.

39) Lib. 2, 7, 4.

40) Lib. 1, 4. extr.

Sed progrediendum nunc eſt ad libri virtutes, quae non compenſant ſolum vitia, ſed et longe ſuperant, alia, quae adſperſa reperiuntur, ſi non plane eluunt, at certe levant.

Si enim prima lex eſt eorum librorum, in quibus res hiſtoricae, aut geographicae traduntur, ut vera adferant, et fabuloſa falſaque a certis et indubiis, diligenter et quatenus licet, ſeparent, non privandus eſſe ſua laude videtur Pomponius. Licet enim regiones et maria adire ipſe omnia non potuerit, vel, ut Strabo, plurima perluſtraverit, quippe cuius peregrinationis aut nulla exſtant, aut ſaltem incerta [41]) veſtigia, adhibuit tamen graviſſimos, quos nactus erat, auctores, atque ex iis conquiſivit, quae prodeſſe ſibi crederet. In quibus ipſe nominatim producit [42]) *Homerum*, [43]) *Hannonem*, [44]) *Hipparchum*, [45]) *Cornelium Nepotem*; alios

41) Adſunt enim in hanc ſuſpicionem virorum quorundam doctorum coniecturae, quas petunt ex inluſtrioribus locorum deſcriptionibus, veluti *antri Corycii*, *Garumnae*, de quibus cf. 1, 13, 3. et 3, 2, 5. Ita iudicat Beckmann. ad Ariſtotel. de mirab. auſcult. cap. 91. p. 187. de Salſulis 2, 5, 7. ut antea Voſſius, hic et omnino de Gallia. Tum vero etiam Idam adſcendit, Araxen tentavit.

42) 1, 9, 9, 2, 7, 6. 3, 5, 8. Ex Homero etiam 2, 3, 4. quae ſola novit oppida et pauci praeterea commemorant, *Cynon* et *Galliaron* petiiſſe videtur.

43) 3, 9, 3. et 5.

44) 3, 7, 7.

45) 3, 5, 8. 3, 9, 5. Praeterea narrationem de Britanniae indole 3, 6, 5. ex Nepote repetiiſſe, adparet ex Iornande de reb. Get. cap. 2. qui cum eadem habet, diſerte Nepotem auctorem adlegat.

vel silentio praeterit, forte ne in disertam quaestionem raperetur brevis descriptio, aut locorum series crebra auctorum iactatione interpellaretur, vel in universum omninoque tantum ostendit, ut *Graecos*, quibus et [46]) *Romanos* addit, aut sic dicere solet: [47]) *ita veteres tradidere*, [48]) *praeter physicos Homerus*, [49]) *ut doctioribus placet*, [50]) *auctores, quos sequi non pigeat*, [51]) *ut experti tradidere*, [52]) *ut fabulis traditur*. Passim etiam his formulis innuit: [53]) *ut quidam putant*, [54]) *ut alii aiunt*, [55]) *ut dictitant*, [56]) *ut ferunt*, [57]) *accepimus*, [58]) *dicuntur*, [59]) *memorantur*, et similibus, ex quibus aliquae dubitationem, vel fabulosam narrationem indicant.

Neque uno duce semper contentus alios etiam audit et sequitur, illorumque narrationes et monita profert, ne temere et caeco quasi obsequio credidisse videatur, et ut lectores facta comparatione ipsi iudicare resque ipsas exploratius intellectas teneant. Sic [60]) ubi de Oceani accessu et recessu paullo prolixius propter rei mirabilem causam, quam pro consilio libri disserit, varias recenset opiniones, quid de priscis Cariae incolis

46) 2, 5, 7.
47) 3, 7, 7.
48) 3, 5, 8.
49) 3, 1, 2.
50) 3, 6, 8.
51) 1, 13, 4.
52) 2, 7, 2.
53) 2, 6, 9. 2, 7, 9.
54) 1, 9, 9. 1, 19, 7.
55) 2, 2, 4.
56) 1, 11, 3. et alibi saepius.
57) 1, 2, 3. 1, 19, 2. et alibi.
58) 1, 7, 5.
59) 1, 8, 5. 3, 10, 1.
60) 3, 1.

ſtatuerint diverſi auctores, [61]) adfert, in Antandri nomen eiusque originem ex aliis [62]) inquirit, [63]) de terra Oceano circumflua praeter phyſicos et Homerum Cornelii Nepotis narrationem refert, [64]) de Thebis Aegyptiis cum Homero alios producit, [65]) de vaſto et incognito Africae tractu aliis ſubiungit Hannonis teſtimonium. Hinc vero cauſa intelligitur, cur in recenſu regionum diverſorum temporum res et facta deinceps poſita commemoret, notata etiam locorum intervalla modo paſſibus, modo ſtadiis, modo navigationum curſibus deſignet, nec in aliis quibusdam certum tenorem ſervet, prout alii alia, vel eadem, vel diverſa, vel plura, vel pauciora ſubminiſtrabant.

Quos vero praeter ſupra nominatos auctores conſuluerit, cum vel ex Pliniano catalogo adpareat, quam pauci ad noſtra tempora ſervati ſint, difficilius erui poſſit, nec niſi coniecturis aliorumque indiciis teneri, cum de iis, qui etiam nunc exſtant, certius ferri poſſit iudicium. In quorum quidem numero primus poni debet *Herodotus*, quod data opera et inſtituta multorum locorum comparatione evicit [66]) Schottus, licet, ut in aliis, Graeca non ſemper conſtanti fide reddiderit, quod

61) 1, 16. in.
62) 1, 18, 2.
63) 3, 5, 8.
64) 2, 9, 9.
65) 3, 9, 3.
66) V. eius geographica et hiſtorica Herodoti ſeparatim edita 1581. poſt etiam adnexa Melae A. Gronovii 1748. pag. 330 ſqq.

docent loca a Schotto [67]) indicata. In rebus Gallicis et Britannicis, liberius tamen paſſim immutatis, multis leviter excerptis, ducem ſequitur [68]) *Iulium Caeſarem;* in Aethiopicis fabuloſos quamvis maxime *Megaſthenem* et *Deimachum*, quod conligi poteſt ex iis, quae [69]) Strabo refert, ſi [70]) Melam compares. An ipſum Strabonem reddiderit, incertum eſt, etſi quidam contendunt. Sic [71]) Salmaſius antri Corycii deſcriptionem ex Strabone ſumtam putavit, refutatus ideo graviter a [72]) Voſſio; de interiori Theſſalia ipſa eius verba interpretatum [73]) Caſaubonus, quod tamen dubium eſt, cum eandem, brevem in primis ſententiam, iisdem paene verbis edere auctores diverſi poſſint; in narratione de litore Galliae lapideo et piſcibus foſſilibus ante oculos habuiſſe [74]) Aſtruo. Remota ſunt etiam alia indicia tenuioribus veſtigiis expreſſa, quibus conſpectis viri docti plurium aliorum auctorum greſſus praevios ſibi deprendiſſe viſi ſunt. *Ephorum*, *Hecataeum*, *Hellanicum* oſtendit [75]) Voſſius, ut contra Pintianum ἀγάλματα Herodoti in Melae poculis vindicet. [76]) *Ephorum* ſecutus videtur in Acolidis

67) Cf. in primis notata paſſim ad 1, 8. et 2, 1.

68) V. Mela 3, 3. et Iul. Caeſ. de B. G. 6, 21 ſq.

69) Lib. 2. p. 48. f. 70.

70) 3, 10.

71) Ad Solin. c. 38. p. m. 544. Idem etiam omnino putat Hagerus in libro Hiſtor. Bücher-Saal Vol. 2. P. 7. p. 501.

72) Vid. ad Melam II. 1, 13. 3. p. 414.

73) V. ad Strabonem lib. 9. p. 296. f. 430. conl. Mela 2, 3. 2. a verbis: *Terrae interiores* ad *ferunt.*

74) Vid. ad Melam II. 2, 6. 4. p. 478.

75) Cf. ad II. 2, 1. 9. p. 48.

76) Vid. ad II. 1, 18. in.

finibus ſtatuendis, et [77]) Tibarenorum moribus deſcribendis; [78]) *Theagenem* de Cydna, ſaepius *Artemidorum* reddidiſſe putat [79]) Hermolaus Barbarus; *Eratoſthenem* [80]) Mannertus, etſi in diviſione terrae in tres partes [81]) ab illo diſcedit; *Polybium* in eodem argumento [82]) Schottus, diſſentiente Nunneſio; *Callimachum* [83]) de Hyperboreorum legatione Delphos miſſa [84]) Stephanus; [85]) *Diodorum Siculum* in ſpecioſa deſcriptione orientis ſolis in Ida Voſſius et Weſſelingius, quorum tamen ille communem auctorem ferri poſſe monet; *Apollonium Rhodium* diligenter legiſſe ex multis narrationibus, ut [86]) de Moſſynorum regibus, [87]) de Dyſceladi mentione Voſſius; *Metrodorum* in terminatione Philoteris ſecutum eſſe [88]) Pintianus. Ex *Metrodoro* duxiſſe videtur narrationem [89]) de immanibus ad Rhyndacum anguibus, quod non obſcure diſcitur ex [90]) Plinio, qui, dum eandem iisdem verbis exhibet, eius auctoritatem praefert. In quibusdam ita ab aliis auctoribus, quorum vel libri vel fragmenta exſtant, recedit, ut, quos repetierit, ex-

77) Vid. ad II. 1, 19, 10. pag. 605. ubi addi poteſt Bochartus in Phaleg 3, 12. qui eandem opinionem fovet.

78) Lib. 2, 3, 1.

79) Ad libr. 2, 7, 8. de Cicynetho.

80) In libro Geographie der Griechen und Römer T. 1. p. m. 122.

81) V. ad II. 1, 1, 6. p. 50.

82) V. ad c. l.

83) Lib. 3, 5, 2.

84) In praefat. ad Melam.

85) 17, 7. V. ad Melam II. 1, 18, 4. p. 541.

86) Lib. 1, 19, 10.

87) Lib. 2, 7, 13. Vid. ad loca citata.

88) V. ad I. 3, 8, 7.

89) Lib. 1, 19, 3.

90) Lib. 8, 14.

quiri non poſſit. Sic [91]) a Themiſtagora Mileſio Phaſin urbem conditam ſcribit, cuius originem alii ad Mileſios omnino referunt. Lubenter tamen eum antiquiores Graecos ſequi ſolere, [92]) ex multis locis intelligitur.

Neque tamen, cum in tanta diverſarum rerum congerie ſibi ipſe ſolus minime ſufficeret, ſed aliorum ſubſidiis egeret, quaecunque parata habuiſſet, temere corripuit, ſed et iudicium, diligentiam et [93]) prudentiam in delectu adhibuit. Quod manifeſtis ſignis declarant voces et formulae, quas dubiis rebus vel fabuloſis [94]) ſaepe interpoſuit. Praeterea ipſe [95]) fabulas indicat, [96]) barbara et a Romanae linguae uſu aliena nomina cognovit, [97]) nominum cauſas et origines diiudicat, de incolarum vetuſtate [98]) disputat, mores mutatos [99]) comparat, locorum [100]) converſiones adtingit, prolixius fere et quaſi lubentius in rerum naturalium cauſas [101]) inquirit, vel dubitanter aliorum narrationibus ſuam opinionem [102]) ſuperſtruit.

91) Lib. 1, 19, 12.

92) V. Voſſius ad 1, 17. f. et alibi.

93) Quas virtutes in multis narrationibus praedicat et tuetur H. Stephanus in praef. ad Melam.

94) V. c. *ſi fidem res capit, ſi credere libet, ſic creditur, ut ferunt*, aliaeque plures, quas ſupra notavi.

95) Ut Lib. 2, 7, 2. et 12. 3, 6, 8.

96) Lib. 3, 1, 10.

97) Lib. 1, 18, 2. 3, 7, 7.

98) Lib. 1, 16. in.

99) Lib. 3, 2, 3. et 4.

100) Lib. 2, 3. extr.

101) Vid. de Nilo 1, 9. de maris motibus alternis 3, 1.

102) Lib. 2, 7, 6.

Si qua tamen adhaeſerunt, quae fabuloſa, incerta et vana eſſe nemo infitiabitur, aetatis illius inſcitiae, rerum obſcuritati auctorumque aliorum [103]) malae fidei tribuenda ſunt. Talia ſunt, quae de [104]) *phoenice*, [105]) *formicis*, ea quidem magnitudine, [106]) *Panotis*, [107]) *Himantopodibus*, [108]) *Blemyis*, [109]) de *hominibus mutis orisque uſu carentibus* aliisque monſtroſis formis narrat, quas Africae Aſiaeque regionibus quibusdam tribuit. In Aethiopicis quidem et Indicis, uti ſupra notavi, deluſus eſſe maxime videtur commentis *Deimachi*, *Megaſthenis* et aliorum quorundam, quos diſerte [110]) Strabo ψευδολόγους vocat, ex quo autem certiora cognoſcere, et exploſa negligere potuiſſet, ſi aut voluiſſet eum conſulere, aut conſulendi per rei librariae difficultatem copiam habuiſſet.

Alia, quod ſit in moribus hominum et ſitu locorum, poſtea ſunt immutata, ita ut priorem formam fruſtra requiras; alia navigationibus et itineribus peregre factis vel diligentius explorata, vel rectius cognita; quaedam adeo confirmata, multa, ut nunc, admirationis iniiciendae, aut delectationis alendae cauſa verborum ornatu praeter rem in maius aucta. Sic, quantum ipſa Germania mutata eſt ab illa, quam veteres oſtentant; quantae

103) Cf. 2, 5, 7.
104) 3, 8, 10.
105) 3, 7, 2.
106) 3, 6, 8.
107) 3, 10, 3.
108) 1, 8, 10.
109) 3, 9, 4.
110) Lib. 2. p. 48. f. 70.

criminationes in eius incolas conlatae, quarum cauſae vel plane nunc ſunt abolitae, vel cum aliis communicatae. Nec ſagaciſſimus [111]) Buffonius Ariſtoteli ſtatim fidem derogandam exiſtimat, ſi, quae hodierno uſu nondum probata ſunt, aut explorata, tradat.

Alia libri virtus cernitur in magna orationis brevitate, qua ampliſſimam rerum copiam concludit, quas inter ſe apte connexas tenet. Neque culpa cupide in Melam transferatur, ſi quas gentes et urbes ab eo omiſſas eſſe animadvertamus, quas fama etiam vulgaverat, contra ignobiliores et tenuiores productas. Conſtat enim, ſaepe librarios imperitas manus iniecisse, remotiora nomina et obſcuriora depravaſſe, alia etiam ex vitioſa vel male excepta pronuntiatione variaſſe, quod in nomine *Mimyes* notavit [112]) Brunckius, et plurimis aliis exemplis doceri poteſt. Accedit rerum humanarum viciſſitudo, quae ſurſum deorſum omnia fert progrediente tempore, difficilemque reddit rerum commemoratarum diiudicationem.

Ex iis tamen, quae hactenus diſſerui, varia enata ſunt de Mela virorum doctorum [113]) iudicia

111) V. ei. Naturgeſchichte der vierfüſsigen Thiere, ed. Berol. T. 2. p. 134.

112) Ad Apollon. Rhod 1, 378.

113) Conlegit aliqua Thomas Pope Blount in cenſura celebriorum auctorum pag. 104 ſq. Alia ab editoribus edita exſtant.

vel [114]) laetiora, vel [115]) triſtiora. Quid veteres de eo cenſuerint, ignotum eſt, quippe quibus minime innotuiſſe videtur, et, ſi qui poſterioris aetatis ſcriptores eius mentionem faciunt, nullum interponunt iudicium, in quibus produci poſſunt [116]) Servius, [117]) Iornandes, [118]) Freculphus, [119]) Boccatius.

Nemo autem in Noſtro recte reprehendat obſcuritatis vitium, ſi quando vividiori oratione adſurgat, condenſatis et conſertis verbis ſententias contrahat, fluxamque et diductam ſeriem coerceat, quippe quae non tam ſenſum et intelligentiam impediunt, quam interpretandi moleſtiam augent,

114) Sic Voſſius ad 1, 15, 3. neminem Latinorum accuratius de Geographia ſcripſiſſe iudicat. Andres dell' origine, progreſſi — d'ogni letteratura T. 3. p. 424. laudat *ſceltezza nelle notizie, giudizio nel riferirle et da per tutto ſapere ed erudizione.* Cluverius in praef. ad German. ant. eum Geographum agnoſcit, quem ſequi non pigeat.

115) Qualia tulerunt Verderius in cenſione auctor. antiqu. p. 7. in primis Penzelius ad Strabonis interpretat. German. Vol. 2. pag. 856. n. 15. Sic negligentem imperitumque in multis vocat Gatterer in commentatt. — Goettingenſ. Vol. 12. p. 194.

116) Cf. ad Virgil. Aen. 9, 51. ubi locum ex lib. 3, 7, 6. de Gange refert, etſi codices multi pro Mela Melonem ſubſtituunt. Sic ex Mela 2, 1, 10. narrationem de Agathyrſis refert.

117) De rebus Get. cap. 3. ex cod. quidem Ambroſiano, cum in aliis Melae nomen non legatur, qui ex eo in ſinu Codano memorat *Scandzam*, ubi vulgo hodie 3, 6, 7. legitur *Codanonia* ſ. *Scandinovia*.

118) In Chron. T. 1. lib. 2. cap. 16. qui ex eodem Melae loco repetit *Scanza*.

119) In locis pluribus, quorum ſupra notavi aliqua.

quamvis non negem, in tam tenui libello, in quo adumbratur potius, quam exprimitur plena Geographiae imago, qui non viris, ſed adoleſcentibus ſcriptus videtur, dicendi genus planius, apertius et tenuius facile deſiderari poſſe.

Denique quae ſingularis libri dos eſt, taedium-que et ſatietatem legentium depellit, effecit, ut non mera ſemper nomina locorum et gentium legerentur, ſed et rerum dulciſſima condimenta adſpergerentur. Quis enim eſt, quin capiatur et elegantiſſimis et vividiſſimis fluminum, antrorum, mariumque deſcriptionibus? Quem non delectent de rerum memorabilium cauſis, etſi prolixiores, quam libri conſilium ferre videatur, disputationes, et ad Nili exuberantis fontes marinorumque motuum inveſtigationes lubentem detineant? Quis faſtidiat rerum memorabilium, clarorum hominum, conditorum, pugnarum, victoriarum mutationumque ubivis obviarum notationes, nec plures memoratas cupiat? Ex quo non temere [120]) Schottus iudicare videtur, ne ipſum quidem Ciceronem, [121]) ſi Geographica, quae ſcribenda ſuſceperat, abſolviſſet, elegantius ſcripturum fuiſſe.

120) In praefat. 121) Cf. ad Attic. 2, 4. et 2, 7. in.

CAP. VI.

DE FORMA ORATIONIS.

Hinc vero, in tenui licet campo, largiſſima meſſis obiicitur, ex qua, ſi non omnia avare corradere, at potiora diligentius excerpere liceat. Qui enim Melam aliquoties manibus verſavit, animumque adtentum ad eius lectionem adtulit, facile, ni fallor, cognovit, multa ineſſe, quae eum in hoc quidem vel ſimili ſcripturae genere ab aliis ſecernant et ſingulari elocutionis forma diſtinguant. Quod cum ipſo uſu ſenſuque melius intelligatur, ita dictum velim, ut de ſingulis, ſicubi apud alios reperiantur, minime contendam.

Sunt autem primum verba Noſtri vel plane propria, vel antehac in bonis aeque auctoribus nusquam, aut rarius obvia, in quorum numero ponenda arbitror haec: [1]) *brevis*, (vadoſus) [2]) *cinctorium*, [3]) *transiugare*, [3b]) *innavigo*, [3c]) *amflexus*, [3d]) *generatrix*, [4]) *pervetus*, [5]) *pernoxius*, [6]) *perſaevus*, [7]) *perfervere*, [8]) *pernitere*, [9]) *perviridis*, ex quibus exemplis adparet, quantopere delectatus Mela fuerit in au-

1) 1, 19, 6.
2) 2, 1, 13.
3) 2, 2, 10. Quod verbum non accepit Geſnerus in theſauro L. L. in aliis etiam ex Mela ſubplendus.
3b) 2, 1. in. Agnoſcit quidem Geſnerus, ſed ſine idonea auctoritate.
3c) 3, 2. in.
3d) 1, 9, 1.
4) 1, 5, 2.
5) 1, 19, 10.
6) 2, 5, 8.
7) 1, 8, 1.
8) 3, 9, 2.
9) 2, 5, 7.

gendis rerum notationibus vocula *per*, quare etiam Gronovius non reiiciendum putat vocabulum [10]) *perpaulatim*, quod in uno codice invenerat, et [11]) *permeatibus* ex codice Gudiano pro ſimplici aliorum *meatibus*, etſi id ego in illo non vidi.

Occurrunt quidem alia, at rariori conſpectu, ante Melam certe, in quorum numero poni poſſunt [12]) *diu* et [13]) *aliquamdiu*, (de ſpatio et curſu fluminum) [14]) *capulari*, [14b]) *archium*, [14c]) *promiſce*, [15]) *faſtigare*, [16]) *cuneare*, [17]) *circumluere*, [18]) *praenavigare*, [19]) *famigeratus*, [20]) *fabre*, [21]) *anguſtare*, [22]) *retroagere* et alia quaedam.

Rariorem alia habent minimeque vulgarem uſum in ea, quam Noſter ſubiicit, ſignificatione, ut [23]) *cauſa* pro res, [24]) *vitrum* pro glaſtum, [25]) *orans* pro orator, [26]) *aegritudo* de morbo, [27]) *genus* de gente, [28]) *principia*, ut Graeci ἀρχαὶ, de fontibus,

10) 1, 8, 1. ubi cf. diſputata p. 279.
11) 3, 1, 2.
12) 1, 2, 3. et alibi ſaepe.
13) 1, 13, 3. et alibi.
14) 2, 5, 7.
14b) 3, 8, 10.
14c) 1, 19, 10.
15) 1, 4, 1. et alibi.
16) 3, 6, 4.
17) Praef. 1.
18) 2, 3, 6.
19) 2, 7, 12.
20) 2, 1, 9.
21) 3, 1, 10.
22) 3, 1, 1.
23) 3, 9, 6.
24) 3, 6, 5.
25) Praef. 1.
26) 3, 7, 3.
27) 1, 16, 1.
28) 1, 9, 4.

[29]) *ſcatere* pro abundare, quod reprehendit [30]) Verderius, falſo quidem, [31]) *ſtatim* de locorum vicinia.

Alia per ſe quidem et ſimpliciter ſatis ſunt nota et frequentata, ſed ex nexu et coniunctione inſolentiorem formam induunt, veluti *alia mira*, [32]) *opes aliae virtutum*, uti quidem vulgo legitur, [33]) *aliter a ceteris agunt*, *Graecia vecta in meridiem*, *fruſtrari navigia et ventos*, *ſaeva nomina*, *immanis fama*, *rata terra* pro tuta.

Mirifice amat captatque terminationes Graecas verborumque ſtructuras. In illis numerari poſſunt *Europe*, [34]) *Europen*, *Palaeſtine*, *Crete*, *Armene*, *Scione*, *Mende*, *Theſſaloniee*, *Perſis*, *Androphagoe*, *Tyros*, *Cypros*, *Gnoſos*, *Delos* et ſimilia, etſi in his, quod quidem codices docent, perpetua et immutabili lege adſtringi noluit. Hinc *Hermiona*, *Scarpha*, *Ciſthena* et quaedam alia; hinc *Pyramus*, *Peloponneſus*, *Ophio-*

29) 1, 9, 3. et alibi.

30) In cenſione antiqu. auctor. p. 7. Putat enim, non niſi de humectantibus et redundantibus latrinis dici. At ineptam eſſe eam reprehenſionem docuit Voſſius de arte Gramm. lib. 1. c. 47. et Rezzonicus in disquiſit. Plin. T. 1. p. 221. imberbem eum cenſorem vocat, cui non tam audaciam, quam amentiam tribuit.

31) 1, 12. extr. Quae praeter ea adferri poſſint, dabit index.

32) 1, 9, 1. ad quem locum v. notata.

33) 1, 9, 6. Aliorum verborum deinceps memoratorum ſedem index oſtendet.

34) 1, 1. f. 2, 6. extr. In reliquis caſibus Latinam terminationem ſervare videtur. Quare *Palaeſtine* dicitur in caſu recto, in obliquo ablativo *Palaeſtina* 1, 13, 1. 3.

phagi, *Chelonophagi*, *Macrocephali*, *Harmatotrophi*. Idem obſervatur in terminatione caſuum obliquorum ad Graecam rationem informata, cuius exempla ex multis ſunt *Halicarnaſſon*, *Acritan*, *Europen*, *Albiona*, [35]) *Seras*, *Sepiada*.

Ex eodem fonte Graeco manarunt ſtructurae variae. Sic cum adiectivo neutrius generis coniungere ſolet genitivum, quod docent haec: *ſaeva hiemis*, *eminentia et obpoſita cautium*, *immania gentium*, *brevia vadorum*, *idem ingenii*, *ima montis*, *quod terrarum*. Inde infinitivus cum adiectivo coniungitur, ut *adſpici digniſſimum*, *facilis navigari*, *perſpici*, *potari pulcherrimus*; quo etiam referri poſſunt *nihil ſolliciti*, *alia quoque verum et*, *quem perſequi longa eſt materia*, *quae taceri — dispendium eſt*, *in ſinu quem maximum eſt eloqui*, *calcatum Herculi ſolum*, [36]) *Rheſo regnata pars Thraciae*.

A Graecorum tamen forma paſſim recedit in multis locorum et populorum nominibus, quorum et aliqua parum uſitate efferuntur. Sufficiat produxiſſe *Gyrtona*, *Dertona*, *Hermione*, *Antronia*, *Brauronia*, [37]) *Bargylos*, et quae praeter bonorum auctorum morem, Graecorum etiam exemplum, diverſo

35) Quod ex MSStis hac de cauſa praetulerunt viri docti 1, 2, 3. ubi cf. notata.

36) Eundem dativi uſum in aliis etiam locis praeferunt viri docti. V. ad I. 1, 11, 3. p. 395.

37) Cf. ad I. 2, 4, 5. p. 297.

numero, genere et casu effert, ut *Megaram*, *Pataram*, [38]) *Assyram*, etsi hoc dubia auctoritate, *Tauroin*.

In notandis locis peregrinis aut barbaris, quantum licet, adhibet fere terminationes Latinas. Sic *Sardabale*, *Rusgada*, *Barbesula* dicit, etsi nec illas respuere videtur, quod codices innuunt nominibus *Iader*, *Suel* et quibusdam aliis.

Occurrunt porro verba quaedam, verborumque et formae et structurae notandae, in quibus [39]) Livium et Sallustium, ut passim alibi, imitatus esse videtur, atque hinc *mortales*, *tempestas*, *ferme*, *praealtus* excepta sunt.

Praeteriti tertiam personam pluralis in *ere* solet flectere, alias contrahit, ut [40]) *habitarant*, *Deum*, *duum*, *tricenum*, *quis*, *cognosse*.

Tum ablativos absolutos saepe ponit, ut *medio*, *imbre*, *ripis*, *latere*, qualia conlegit in indice

38) Vid. ad I. 1, 18. 2. p. 548. Ipse quidem reposui *Assyra*. Cf. ad I. 2, 3, 7. p. 223.

39) Cf. ad 3, 9. in. De Sallustio id notarunt Vossius ad Melam 2, 4, 1. I. Gronov. MS. ad 2, 6, 6. p. 538. et Corte ad Sallust. p. 510. b. An praeterea Virgilium aliquot in locis Italiae in primis imitatus fuerit, quod putat Vossius ad Melam 2, 4, 9. dubium existimetur.

40) Unde motus forte Vinetus contra codices 2, 7, 4. posuit *occuparat*.

[41]) Kappius; ſingularem pro plurali, ut *piſcem, pecore, fruge, veſte,* [42]) *habitator.*

Alia ſunt quidem magis uſu frequentata et obvia, ſed a Noſtro maxime adamata, in quibus *late, vaſtus, vaſte, infeſtus, infeſtare, agere, ferre, aperire, qua.*

Notanda tamen ex iis maxime videntur verba in ipſo geographiae connexu et ſerie adpoſita, quae vel proprie, vel improprie adhibentur, inſignemque ſaepe et ſuavem efficiunt orationis varietatem, ut de curſus progreſſione, *tum, dein, deinde, inde, exin, ultra, ſuper* et ſimilia; de locorum ſitu et plaga *ſpectare, proſpicere, proſpectare, reſpicere, contueri, vergere, verti ad, obiicere latera, obiacere, obiecta, obpoſita, adverſus, contra;* de incolis regionum praeter hanc ipſam vocem *cultores, accolae, habitator,* (de quo antea monui) *alumnus, expoſiti, adpoſiti ad, effuſi, ſedes* et *ſedere, adſidere, colere, incolere, circuire, circumdare, exercere agros;* de locis praeter aliqua ex illis *cingi, incingi, amplecti, complecti, circumſidere, includi, adponi, imponi, ſitum, poſitum eſſe, iacere, ferre, ſuſtinere, adlui;* de tractu et finibus *fundi, effundi, extendi, porrigi, patere, exponi, permitti, pertinere, expandi, procedere, excurrere ad, pergere;* de partibus *flexus, gremium, dorſum, tergus, caput, cervix,*

41) S. v. ablativus abſolutus, etſi omnia huc equidem non retulerim.

42) Ut quidam legunt 1, 16. in.

ſupercilium, frons, os, fauces, cornua, radix —; de forma *procurrere, exporrigere ſe, converti, evehi in, prominere, excedere, exire, excurrere, exſtare, eminere, extrudi, abire in, progredi in, faſtigare ſe, litus impellere,* contra *recedere, retrahi, abduci, refugere, abscedere, amplecti, ſubmoveri, reduoi;* de iis, quae continent et ferunt, *clarus, inſignis, inluſtris, inclutus, notiſſimus, memorabilis, nobilitari, inluſtrari,* ut contra *ignobilis, obſcurus, ſine nomine;* item *occupare, tenere, poſſidere, alere, ferre, ſtare, ſuſtinere, adtollere, erigere, ſurgere;* de locorum conditoribus *condere, ſtatuere, conſtituere, ponere, oriundus;* de fluminum, in quibus notandis mire variat, ortu *oriri, exoriri, ſurgere, exſurgere, concipi, naſci, edi, emergere, extollere ſe, aperire fontes, mitti ex;* de curſu *agere alveum, adluere, alveo ſtringere, decurrere, decidere, defluere, degredi, deiici, delabi, demitti, deſcendere, devolvi, diffundi, diſpergi, ferri, inſurgere, interfluere, intrare, ire, irrumpere, labi, praecipitat unda, praeterfluere, procedere, ſecare agros, ſimplex, ſolidus, ruere, venire —;* de exitu *conſociare ſe pelago, deſinere, devenire in mare, effluere, effundere ſe, egredi, elabi, emitti, emittere undam, erumpere, evadere in pelagus, evolvi, exire, infundi, os aperire, permeare in, profluere, vergere in oceanum;* et contra de mari *patere, aperire,* cuius etiam omnino variae ſunt notationes, ut *adfluere, adluere, amplecti, aperire terras, cingere, circumluere, contingere, effundi, incidere latus orae, immitti, impellere, intrare terras, irrumpere, ſubire, ſubmovere terras, ripam, refluere, tangere.*

Sed praeter geographicam rationem ſua habet verba verborumque formulas, modos et ſtructuras, quibus delectari videtur. Sic frequentativa lubenter ponit, ut *vocitare*, *oſtentare*, *proſpectare*, *coniectare*, *imperitare*, [43]) *acceptare*.

Multum porro tribuit *comparationibus*, *relationibus*, et *moderationibus*, quibus oratio eleganter vel inflectitur, vel propellitur. Sunt autem fere haec: Varius uſus comparativi aut abſolute poſiti, aut ſeparatim, facta periphraſi, ut *magis cultus*, *horribilis*, *capax*, ſubiuncta particula *quam*. Alterius formae *ita ut*, inverſo etiam ordine, *ſic ut*, *ubi ibi*, *nunc*, *quondam* ſ. *olim*; denique *niſi ubi*, *niſi quod*, *qua*, *quae*, *cum*, *praeter id quod*, *praeterquam ubi* — quibus ſimiles amplificandi formulae Noſtro uſitatae adpendi poſſunt, *quod cum quia*, *ſed quia qua*, *quod ubi*, *atque unde*. Inde etiam verbum vel nudum, vel auctum aliquoties refert, quod fit in rerum et cauſarum progreſſione; vel in rerum diverſarum ex ipſo connexu ſimilitudine, unde verbum *obiacet* [44]) alicubi ferri nequit. Ea vero, qua dixi, lege occurrunt repetita [45]) *eſt*, [46]) *tangit*, [47]) *ſacere*, [48]) *parva oppida*, *parva flumina*, [49]) *diverſis frontibus diverſa maria proſpectant*, [50]) *urbs*

43) Cf. ad I. 1, 10. p. 380.
44) 2, 3, 3.
45) 2, 2, 7. ſepties quidem.
46) 2, 5, 3.
47) 2, 5, 10.
48) 2, 6, 5.
49) 1, 17. f.
50) 1, 17. in.

inclutis civium ingeniis incluta, [51]) *dicta ora, dictae insulae,* [52]) *mire amant, mireque custodiunt,* [53]) *grandis litoris flexus grandem insulam includit,* [54]) *vasta omnia vastis praecisa montibus.* Cum augmento redeunt *vastum vastius, nota notior, grandis grandior, late latius, altus altius.*

Suavissima sunt exempla efficacissimae illius brevitatis, qua unum verbum pluribus iisdemque diversis rebus adponit, ex quorum numero haec sunt: *ita nominibus, ut locis differens, Utica fato Catonis insignis, Carthago suo, solo quam viris melior, situs coeli terrarumque, humi quies epulaeque capiuntur, se ac tuguria promovent, equos seque velant, copias, quia numero non poterat, spatio mensum ferunt, non mare, sed commeatus deficit, causas bellorum et bella contrahere, fama, quam natura, maiora flumina, regio nec coelo laeta, nec solo, soli quam coeli melioris, fide et aerumnis urbs incluta, ut coeli asperioris, ita ingenii, facie et fabula similis, immanes corporibus et animis, gentium, nunc regnorum terminus, operis huius et Atlantici litoris terminus.*

In magna tamen brevitate non adspernatur synonymica, et copiam quasi effundit, vel ut explicet praecedens, vel ut sonantiorem reddat orationem, etsi resecare illa in multis maluerunt viri

51) 3. 1. in.
52) 2. 1. in.
53) 3. 9. 5.
54) 3. 9. 3.

docti, Pintianus in primis, quod notae criticae docent. Sic [55]) Phoenice *opes maris atque terrarum facili commercio permutat ac miſcet;* [56]) *caput atque exordium eſt promontorium;* [57]) *ſigna atque veſtigia;* [58]) *parma nulli nunc uſuro habilis;* [59]) *ad ferociam et numerum, ut multi immitesque ſint;* [60]) *Abdera magis id memorandum habet, quod Democritum Phyſicum tulit, quam quod ita condita eſt;* [61]) *Athos perfoſſus transiugatusque eſt, et factus freto navigabili pervius;* [62]) *operibus eius inſignia multa ſunt: duo maxime excellunt;* [63]) Phoenices *claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum proeliumque commenti;* [64]) *et intimo in ſinu atque ubi Pontus alterum ſui flexum angulo finit magno*, cum praecedat *quod praetervectos alter Ponti angulus accipit;* [65]) *peſſum et penitus*, et ſimilia, a quibus [66]) alii etiam auctores brevitatis ſtudioſi minime abhorrent.

Qua arte eiusdem rei notationem variet, vel ex iis, quae ſupra conlecta poſui, intelligitur, quibus facile alia addi poſſint. In primis autem obſervatur, quando eam repetit, vel referre deinceps debet, ut in luculentiſſima illa [67]) deſcriptione fon-

55) 1, 12, 4.
56) 1, 5. in.
57) 1, 6. f.
58) 1, 5, 2.
59) 2, 2, 1.
60) 2, 2, 9.
61) 2, 2, 10.
62) 1, 11, 2.
63) 1, 12, 1.
64) 2, 2, 5.
65) 3, 9, 2.
66) Cf. ad I. 1, 12, 4. pag. 416.
67) 1, 8, 1.

tis, quem Solis vocabant, et ubi poſſeſſionem loci indicat. Mirum autem quantum variat in deſcribendo curſu et itinere, v. c. *litora legere, ſtringere, praenavigare, egredi, ingredi, remeare, accipi, excipi, ad introeuntium dextram, oras ſequi, occurrere* — Ita varie in progreſſionibus exprimit gentium ſedes et locorum continuatam ſeriem addita ſubinde notatione aliqua, ne idem ſemper, vel ſaepius obſtrepat. Sic *Aethiopes ultra ſedent, vici tenent ulteriora, Syria late tenet litora*, et alia quam plurima, quae facile reperiuntur. Quam variat regionum incolas et opes, finuum formas, maris vel recedentis, vel irrumpentis modos, orae maritimae ſpeciem, fluviorum curſus, omninoque locorum naturam et famam, ita ut non ſolum ſatietatem arceat, ſed et verbis exquiſite delectis coloribusque adſperſis ſenſus mulceat captosque teneat! Vulgaria enim verba, et quibus res nude et ſimpliciter indicentur, ſpernit, veluti *eſſe, facere, habere, ſequi*, et commutat cum iis, quae vividam quaſi ipſarum imaginem exhibent. Ex multis hic adponantur *adtolli, ſurgere, exſurgere, in altitudinem abire* de montibus locisque editioribus, *urbes ſtant, ſedent, nives ſedent, terra pabulo alit viros, ſuſtinet, fert urbes, ſilvas, ſpecus grandi hiatu patet, viret, aperitur fons, mons, pelagus, ſpecus, mare litus findit, terra fluminibus impedita, montibus aſpera, paludibus invia, terram ſilvae cautesque exaſperant*, quorum illa ex tanta copia delibaſſe ſufficiat, alia etiam ex ſuperioribus huc referri poſſunt.

Saepe etiam, ut plenior et inluſtrior rerum deſcriptio in artiorem quaſi formam contrahatur, participia, ſubſtantiva vel adiectiva, quae ſpeciem declarent, inſerit. Exempla ſunt: *mare abigit vaſte cedentia litora, ſubmotas vaſtius terras magno impetu inflectit, ſubmotas terras — ambitu circumagit, anguſto tramite Helladi Peloponneſum adnectit, ingenti ambitu incurvat, magno impetu inflectit, ſinum inflexo tractu litoris accipit, ſpecus auſos penitus admittit, immiſſis lateribus inde ingens ſinus eſt, Alpes verſo impetu abeunt in orientem, foſſa navigabili alveo effundit amnis partem, caſtra late iacentia oſtenduntur, campus ſtagno ſubeunte ſuſpenſus, Eteſiae obvii adverſo ſpiritu, curſum deſcendentis Nili impediunt, mortuos limo oblitî plangunt, ex ſpatio fit adductior, ex nidore hilaritas —*

Sic ſaepe verbis praefert ſubſtantiva, ut graviorem reddat orationem et feſtiviorem, v. c. *inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt, potus, cibus, veſtis eſt populis, curſus circumvectus redit, locus magni diſcriminis — ſpectator ac teſtis, nandi non ſolum patientia eſt, ſed et ſtudium; inſula tota oppidum.*

Tum inverſa forma orationem inluſtrat et erigit, ubi, quae in terris inveniuntur, vel notantur, ab ipſis terris effecta dicit, vel rebus tribuit, quae proprie in homines cadunt, v. c. *Haemos ex ſummo vertice Hadriam oſtendit, mons ſolem oſtentat, Euboea promontorium extrudit, terra portum admittit, recipit, accipit mare* aut alia, *emittit fluvium —*

Ex quibus vero facile intelligitur, quantum coloris et ornatus Noſter a poetis traxerit, quod praeterea non in ſingulis ſolum verbis, ſed et in plenioribus dictionibus adparet. Sic *Graji*, *caput*, (de fonte) *cervix*, (de inſula) *altum*, (de mari) *generatrix*, (de origine) *domus Circes*, (pro ſedes) *odores*, *tergus*, *venti*, (in notandis mundi plagis) *laetus*, (de rebus) *pubentes luci*, (ut quidam [68]) legunt) *naſci*, *emori*, (de fluviis) *piger*, *macer*, *atrox*, *ſaevus*, (de fluviis et aquis) *ſedere*, (de nivibus perpetuis) *exaeſtuare*, *refugere*, (de terra) *demergere*, (de ſole et luna) *dicere*, (pro deſcribere) — Ex connexis haec: *ſitis coeli et terrarum*, *moles montium*, *caeca tempeſtas* et *alveus*, *immanis fama*, *piger ſedentibus aquis*, *ſuffuſus nocte*, *luxurioſa herbis*, *calcatum Herculi ſolum*, *ſol noctem fugat*, *os aperire*, (de exitu fluminum) *exhauſto fluctu*, *coelum et ſidera vertice tangere*, *incidere litora*, *lacerare oram*, *in cornua findi*, *ſtringere* et *legere litora*, *nubes imbre praecipitant*, *Ioniis fluctibus obiacere*, *rupes extrudere*, *terras adnectere*, et quae ſunt alia, paullo etiam audaciora et altius repetita.

In primis Melae ingenioſus vigor enitet in deſcriptionibus prolixioribus, quibus paſſim aridum locorum recenſum diſtinguit, ut *antri Corycii*, *labyrinthi perplexis ambagibus*, *maris exaeſtuantis*, *Nili inundationum*, *Nili*, *Garumnae*, *Euphratis*, *morum* item

68) 1, 13, 3.

et *rituum*, ubi inſolentiora paſſim captare et rerum involucra quaerere videtur.

Item narrationem neglectis ſaepe connectendi vocibus per breviſſima membra et ſegmenta deducit, in primis ubi diverſa narrat, vel ad nova progreditur, ita tamen ſaepe, ut eleganter ſuperiora adtingat, vel monſtret, ut *populi dites circumſident; ſitus efficit; nomen inſulae, illa oſtio dedit; his neceſſe, illis liberum eſt; partibus differt, ſuis locis illa referentur; ipſis in faucibus oppidum, in ore templum eſt; oppidi nomen Calchedon, auctor Archias; templi numen Iupiter, conditor Iaſo; Heraclea vocitatur; id famae fidem adiicit;* quare etiam male multi, Vadiano duce, [69]) *quod* inferciunt, aut [70]) ablativos conſequentiae, invitis libris, obtrudunt.

Quando plura connectit, ſaepe in medio orationis curſu paullum conſiſtit, et vel formulas, vel ſententias adſpergit, quales ſunt *ut ſolent, ſicut dictum eſt, ut diximus, ut proditum eſt, ut aiunt, ut praedicant*, aliaeque, quas ſupra [71]) adtuli. Sententias autem rebus miris, vel inluſtribus interponit, ut adtentionem excitet et contineat, v. c. de Helleſponto ponte iuncto, *mirum atque ingens facinus*, de Colchorum converſione, *in quantum res transeunt*,

69) V. ad I. 3, 7, 4. p. 230.

70) 1, 1, 2. 1, 19, 5. 3, 42. V. Perizon. ad I. 1, 1, 2. p. 29.

71) Cf. etiam ad I. 2, 1, 3. p. 23.

de Philaenorum vivorum ſepultura, *mirum et memoria digniſſimum facinus*, quo et referri poſſunt adpoſitiones, eadem fere de cauſa inſertae, ut *impeditum opus; alterum opus; Phidiae, Artemiſiae opus.*

Cum etiam ſaepe adpellationes externae, vel Graecae proferendae eſſent hominum et locorum, illorum origines, cauſas et rationes ſolet ſubiungere, Graeca Latinis verbis commutare, aut explicare.

Quae quidem eo conſilio conlecta exhibui, ut continuo oculorum obtutu oratio Melae perſpiceretur, et ipſa eius explicatio magis expediretur.

CAP. VII.

DE CODICIBUS HUIUS LIBRI, QUI IN BIBLIOTHECIS SERVATI NOTANTUR, VEL OMNINO AB VIRIS DOCTIS COMMEMORANTUR.

Pariſienſes.

Recenſentur hi in catalogo codd. MSS. bibliothecae regiae P. 3. Tom. 4. Pariſ. 1744. f. Sunt autem hi:

P. 2. n. 4800. Codex chartaceus, quo continentur 1. Pomponii Melae de ſitu orbis libri tres: ad calcem ſubiicitur index rerum alphabeticus. 2. Nomina regionum cum provinciis ſuis et de urbibus

Gallicis. Huius auctor anonymus. Is codex ſaeculo 15. exaratus videtur.

P. 6. n. 4832. Codex membranaceus, olim Puteanus. Ibi continentur Pomponii Melae coſmographiae, ſive de ſitu orbis libri tres. Is codex ſaeculo quinto exaratus videtur.

P. 6. n. 4833. Codex membranaceus, quo continentur 1. Pomponii Melae de ſitu orbis libri tres: praemittitur epitaphium Caroli VIII. Francorum regis — Is codex ſaeculo 15 exaratus videtur.

P. 283. n. 6834. Codex chartaceus, olim Puteanus. Ibi continentur 1. Solini Polyhiſtor. 2. Pomponii Melae coſmographia, ſive de ſitu orbis libri tres. Is codex anno 1450. exaratus eſt.

— Pars 3. Tom. 3.

P. 13. n. 152. Codex partim membranaceus, partim chartaceus, olim Baluzianus. Ibi continentur — 6. Libri primi Pomponii Melae caput ſecundum: ſaeculo 14 ſcriptum.

In literis ad me datis notatur etiam codex 7489 recentioris aetatis et parum probabilis.

Tum Montfaucon in bibliotheca bibliothecarum MSS. nova (1739.) T. 2. pag. 1374. memorat codicem Melae e bibl. S. Victoris Pariſ.

Lugdunenſes.

V. catalogus bibliothecae publ. Univerſitatis Lugduno-Batavae 1716. f.

P. 325. Pomp. Melae Coſmographia finiens hoc carmine:

Europam Libeam atqüe Aſiam Pomponius edit
Orbis deſcribens ordine Mella ſitum.

Liguria per quendam Ianuenſem in charta 19.

P. 377. ex bibliotheca Voſſiana. Pomponius Mela (adnexis aliis) in membr. 11.

P. 383. ex bibl. Voſſ. Pomp. Mela de coſmographia mondi, (ſic) ſed nitidiſſime ſcriptus in membr. 88.

P. 384. ex biblioth. Voſſii. P. Melae Coſmographi viri Illuſtr. liber. Recens codex. In membr. 97.

P. 385. ex bibl. Voſſii. Pomp. Mela de coſmographia. Vib. Sequ. in charta 124.

P. 390. indidem. Geographiae fragmentum, quod eſt P. Melae, incipiens ab generali deſcriptione Europae, *Britannicum Oceanum*, deſinens: *diutius paſta diſſiliant. Cultores*, quae ſunt libro 3.

P. 494. ex legato Perizoniano. Pomp. Mela in charta 7.

P. 376. ex bibl. Voſſii. Liber de ſitu orbis, quem pro Venerabillimo Regique glorioſiſſimo D K G ſervorum Dī extimus in rubrica dicitur ſcripſiſſe, ubi ſunt excerpta ex Mela. Codex vetus et ex variis geographis connexus. In membr. 115.

Britannici.

Catalogi librorum MSStorum Angliae et Hiberniae in unum collecti Oxon. 1697. fol.

P. 37. n. 1244. Eutropius — Victor — Pomp. Melae Coſmographia e biblioth. Collegii novi in Oxonia.

P. 65. n. 2410. — P. Mela. In MSStis Voſſii recenſetur, ſed tantum indicatur.

P. 66. n. 2474. Pomp. Melae Coſmographia; ex bibl. Voſſii.

P. 66. n. 2485. Pomp. Mela; indidem.

P. 67. n. 2552. P. Mela; indidem.

P. 71. n. 2758. Pomp. Mela Andr. Schotti cum MSS. collatus manu Gerardi Voſſii, Gerardi filii; indidem.

P. 71. n. 2787. Pomp. Mela Olivarii cum variis lectt. indidem.

P. 74. n. 2904. P. Mela de orbis ſitu; e bibl. Norfolciana in Collegio Greshamenſi apud Londinium.

P. 228. n. 7544. Mela e bibl. Eduardi Bernardi.

Vol. 2. P. 2. p. 4. n. 6. P. Mela quarto, nitido charactere in membr. e bibl. Henrici Comitis Clarendonii Hiberniae pro Rege Gubernatoris.

Bibliothecae cleri Londinenſis in Collegio Sionenſi Catalogus, Lond. 1714. f.

Eb. IX. 9. P. Mela cum Solino.

In bibliotheca Muſei Britannici, quod literis ſignificaverat Woidius, bibliothecarius eius, codex ſervatur papyraceus, qui Melam complectitur ſimulque conlationem cap. 10. libri 1. miſerat.

Vaticani.

Horum recenſum debeo officioſae humanitati Frider. Adelungii, qui a Patruo, Io. Chriſtoph. Adelungio, excitatus, dum Romae commoratus erat, eum egit.

Cod. 1915. p. 81. Codex pergamenus in fol. exaratus ſaeculo 15. Complectitur Libros 3 Coſmographiae.

Cd. 2952. Cod. pergam. in 8. Saeculi 14. Idem opus.

Cd. 3409. Cod. chartac. in 8. Saeculi 15. Idem opus.

Cd. 3901. p. 47. Cod. chartac. in fol. Saeculi 15. Excerpta ex eodem.

Cd. 3906. p. 36. Cod. chartac. ſaec. 15. Excerpta ex eodem de Plinii locis circa menſuras.

Cd. 4929. p. 150. Cod. pergam. in quarto quadrato elegantiſſimus ſaeculi circiter 9. cui titulus: *Pomponii Melai de Chorographia.* Fuit Cardinalis Sirleti.

In bibliotheca Reginae Suecorum.

Cod. 581. p. 23. Cod. pergam. in fol. ſaec. 14. Idem opus. Fuit bibliothecae Nicotianae.

Cd. 678. p. 77. Cod. chartac. in 8. Saec. 15. Idem opus.

Ottoboniani codices.

Cod. 604. p. 81. Cd. membran. in fol. Saec. 13. Idem opus.

Cd. 1455. p. 20. Cd. chartac. in fol. Saec. 15. Idem opus.

Cd. 1549. p. 217. Cod. chartac. in 4. Saec. 16. Eſt exemplar codicis Vaticani 4929.

Cd. 1808. p. 83. Cod. membran. in 8. exaratus Bononiae per Paulum Crottum Cremonenſem menſe Dec. 1461.

Cd. 2845. et 2848. Codd. chart. in 8. Saec. 15. Fuerunt bibliothecae Equitis Philippi de Stoſch. Idem opus.

Palatini Codices.

Cd. 1567. Cod. chartac. in fol. ſaec. 15. exaratus Bononiae. Fuit primo Ludovici de Monte Cavaloro civis et Notarii Mantuani, deinde Canonicorum Moguntiae, poſtremo bibliothecae Palatinae. Idem opus.

Bibliothecae Urbinatis.

Cod. 1173. p. 56. Cod. chartac. in 8. exaratus an. 1454. Idem opus.

Aliquos illorum codicum notavit etiam Montfaucon in bibliotheca bibliothecarum MSS. nova Pariſ. 1739. Tom. 1. Ex illo addi hi etiam poſſunt:

P. 158. Pomp. Melae coſmographia cum viti Alex. et Caeſaris ex Plutarcho, ex bibliothec Romana.

P. 178. 163. Pomp. Mela de ſ. o. indidem.

Praeterea idem p. 237. 301. ex Laurentiana Me dicea 4 Melae codices indicavit, quorum numerun poſt auctum fuiſſe ex Bandinii deſcriptione adpare et me literae eius docuerunt, etſi earum conlatio nem impetrare propter obiectas a laboris compen ſatione difficultates non potui.

Notantur porro T. 1. p. 434. P. Mela de ſ. o. ex bibl. Ceſenatenſi.

P. 485. Pomp. Melae Coſmographia ex bibl. Patavina.

P. 487. P. Mela indidem.

P. 488. P. Mela Coſmogr. indidem.

P. 522. P. Mela de ſ. o. cum notis ex Ambro ſiana Mediolan.

Adſervatur praeterea codex Melae chartaceus exeunte ſaec. 15. vel ineunte 16. ſcriptus in biblio theca Auguſtinorum, cuius ego conlatione in mul tis locis uſus ſum, adiuvante Weigelio, Dresdenſi medico celeberrimo mihique amiciſſimo.

Bibliotheca D. Marci Veneta codicem Melae poſſidet Beſſarionis olim in 4. membranaceum fo lior. 185. ſaec. 15. uti diſcitur ex bibliotheca codd MSStorum Latina D. Marci 1741. fol. pag. 157 n. 389. et ex eius conlatione humaniſſimi aequ

ac doctiſſimi Morellii ad me miſſa. Mancus eſt ab initio.

Exſtabat etiam Mela manuſcriptus in bibliotheca Pinellii, quod docet catalogus T. 3. p. 357. n. 7931. ubi ſic notatur: P. Melae Coſmographia. Poſt eundem cum ſociis libris in Angliam migraſſe audivi.

Neapolis in bibliotheca Auguſtinianorum S. Ioannis ad Carbonariam poſſidet codicem, qui in fronte praefert inſcriptionem, Pomp. Melae de ſitu orbis libri tres, et hinc verba ſubiicit: Pomponii Mele de Coſmographia liber primus incipit. Codex eſt membranaceus in folio cum multis notis margini adſcriptis, (Iani Parrhaſii) et continet folia 22. Ad calcem nomen poſſeſſoris legitur Antonii Seripandi ex Iani Parrhaſii teſtamento. Hoc nomen omnes fere codices manuſcripti huius bibliothecae ferunt. Intellexi hoc ex literis Frider. Adelungii.

Bibliotheca Regis Daniae ſervat codicem chartaceum ita notatum: P. Melae de ſitu orbis libri 3 per Victorem Bergomenſem Guarini Ver. (onenſis) oratoris noſtrae aetatis clariſſimi diſcipulum anno 1446. exarati. Teſtis fuit Suhmius, liberaliſſimus olim literarum in maius provehendarum adiutor, eiusque auctore Nyerupio ad me miſſa conlatio, quae puerilia ſaepe diſcipuli vitia adtulit.

Polonia olim iactare poterat codicem in Zaluſciana bibliotheca, in cuius etiam catalogo pro-

ducitur, Varſoviae repoſitum, cuius aliquae lectiones bonae ad me venerunt.

Hiſpaniam codicibus minime orbam eſſe, teſtantur notae Nunneſii et Ciacconii in Melam, de quibus infra dicendum erit, ſed quales ſint, accuratius deſcribere, nec, ubi hodie conditi lateant, indicare poſſum.

Tranſylvania gloriari pôteſt praeſtantiſſimo codice, qui Cibinii ornat bibliothecam L. B. a Bruckenthal, quem ut ipſe inſpicere et conferre poſſem, nominis auctoritate perfecit Adelungius. Membranaceus is eſt in fol. ſingulis paginis bifidis, ſcriptus literis minusculis quidem, ſed luculentis, quae ſaeculum produnt 13. aut initium 14. Initio haec leguntur: Incipiunt pomponii de corografia libri tres. Sequuntur notationes 7 miraculorum mundi, quae vocant, quas excipit ipſe Mela. In fine libri primi verba haec leguntur: *Feliciter emendavi caecilius et ſicius helpidius dommilus et adnotavi vicario rabenne.* Concinit fere cum Voſſ. 1.

Sequuntur codices Germaniae, ex quibus mihi uſu etiam ipſo innotuerunt:

Vindobonenſis ex Palat. bibliotheca, nunc in Imperatoria publica, cum inſcriptione: Pomponii mela de coſmografia.

Guelpherbytana bibliotheca accepit Gudianum, quem Gudius ex itinere redux adtulerat et I. Gronovio conſulendum tradiderat. Eſt membran. in 4.

ſaeculi 15. ineuntis, aut exeuntis 14. ſplendide adornatus, et incipit a verbis: *Pomponii Melae de Coſmographia prooemium incipit.* Uſum eius debui Langeri doctiſſimi et officioſiſſimi liberalitati.

Rehdigerianus ex legato Rehdigeri, quem continet Vratislavia, et ad contextum Melae editum comparandum promta humanitate ad me transmiſit Scheibelius, eius bibliothecae praefectus doctiſſimus. Eiusdem videtur eſſe aetatis, quam in proximo notavi.

Lipſienſis membranaceus forma octonaria, foliis 54. Ex bibliotheca Io. Chriſt. Wagenſeilii, cuius inſigne et nomen in adverſa involucri parte conſpicitur, in Senatoriam transiiſſe videtur. Inſcriptionem gerit: Pomponii Melle de Coſmografia libri tres incipiunt feliciter. Literae ſunt luculentae, ipſa vocabula uſitatis compendiorum notis ſcripta, quaedam eraſa, et ex raſura ſunt emendata, delenda ſubiecto puncto indicantur, omiſſa vel inter contextus lineas, vel in margine ſubplentur, qui etiam repetebat rubro colore ſignata nomina locorum, vel paſſim varias lectiones, et verborum explicationes, v. c. eteſiarum. Ad verba libri 1, 16, 1. *ut aliena etiam bella mercedibus agerent* adſcripta haec ſunt: Qui aliena bella mercede ſuſcipiunt, hodie aput noſ nos. (ſic.) Lectiones ſaepe exhibet minime contemnendas. Eius aetas revocanda videtur ad ſaec. 14.

Pragenſis bibliothecae Clementinae, quem indicavit Hirſching in libro Beſchr. der Biblioth. Vol. 3. p. 257. inſpiciendum conceſſit Ungarus, bibliothecae illius praefectus doctiſſimus et humaniſſimus. Recentioris ille eſt aetatis fetus et multis vitiis ſcatet.

Commemorantur paſſim alii codices, qui in privatis bibliothecis latuerunt, nec ad publicos uſus exierunt. Sic Melae codicem poſſedit Laurentius Pignorius, uti adfirmat in eius vita p. 90. Tomaſinus ad calcem libri de initiis Magnae Deum matris Idaeae. Omnino autem, ſi fides habenda eſt A. Gronovio in praefatione ad Melam ed. 1748. larga eſt copia MSS. Melae in variis bibliothecis adſervatorum, adeoque tanta, ut fere omnes Abbatiarum et Monaſteriorum praecipuae Pomponii Melae exemplaribus inſtructae fuerint.

Ut autem uno obtutu codicum ſubſidia proſpectari poſſint, quibus uti in hac editione contigit, fuerunt codices hi:

Pariſienſes 3. n. 4800. 4832. et 4833. quorum conlationem ut haberem, auctoritate motus Geisleri, praefecti bibliothecae Gothanae et de me et de Mela egregie meriti, providit Cauſſin de Perceval, praefectus bibliothecae MStae Pariſienſis. Qui operam praeſtitit Thory, ita illos codices deſcripſit. Primus 4800. ſaeculi eſt 15. ſcriptura parum elegante, ſed nitida, ceterum optimae notae, et praeſtantiſſimis lectionibus ornatus. Alter 4832.

membranaceus, omnium antiquiſſimus, exaratus ad finem ſaec. 14. literarum ductibus compendiariis et impeditis. Tertius 4833. in membrana nitide et luculenter ſcriptus, literis auro et minio pictis ſplendide ornatus. Conlati erant hi tres codices ad editionem Voſſii.

Havnienſis ad editionem Venet. 1478.

Zaluſcianus ad ed. Voſſii parcius conlatus.

Auguſtinorum codex Romae ſervatus, olim Paſſionei, a Teckero, bibliothecario, paſſim conlatus in locis difficilioribus.

Venetus ad ed. Venet. 1482.

Vindobonenſis ad ed. Gronov. 1748.

Accedunt, quos ad eandem editionem ipſe contuleram, Lipſienſis, Gudianus, (quo antea iam uſus erat I. Gronovius, Abrahamus paſſim minus vere reddiderat) Rhedigerianus, Cibinienſis, Pragenſis, de quibus ſingulatim antea dixi.

Praeterea uſus ſum editione Florentina an. 1526. in cuius margine lectiones ex 5 codicibus Vaticanis erant adſcriptae;

Editione I. Gronovii an. 1685. 8. cuius margo ferebat multas lectiones ex codice Bononienſi notatas. Haec ſubſidia ex bibliotheca Senatoria Lipſienſi ad me venerant.

Bibliotheca Univerſitatis Havnienſis poſſidet exemplar editionis Voſſianae an. 1658. in quo I. Alb. Fabricius notaverat lectiones ex Florentino

et Vaticano codice depromtas; quibus ut uti poſſem, effecit officioſa Nyerupii humanitas. At ultra caput 6. Fabricius progreſſus non erat.

Ad hos codices acceſſerunt illi, quos ante me viri docti inſpexerunt ſuis locis commemorandi. Nec defuerunt ſubſidia plurima editionum, quas undique conquiſivi ſingulari aliorum benevolentia exceptus et dotatus, quorum omnium copiam auxerunt adnotationes etiam manuſcriptae, ut ex ipſo recenſu ſubiecto clarius adparebit.

CAP. VIII.

DE EDITIONIBUS POMPONII MELAE.

Aetas I.

1. S. l. anno et editoris nomine. Haec editio, quam Erneſti in Fabricii bibliotheca Latina Tom. 2. p. 76. omnium antiquiſſimam, certe in principiis artis typographicae in Italia factam exiſtimat, in theſauris bibliothecae Senatoriae Lipſienſis praecipuum locum tenet, ex qua, adnuente Müllero, Conſule olim eius civitatis, multis nominibus celebrati, excitata domi meae per aliquot hebdomadas Melae uſibus inſerviit. Formam habet octonariam maiorem, quam vocant, et quae ad quaternariam fere accedat; chartam fert literasque nitidas, ſcribendi notas aliorum librorum ſaeculi 15. uſus probat. Omiſſo titulo ſtatim incipit a verbis Melae: *Urbis*

(v. deinceps) *ſitum dicere* — In fine leguntur haec: *Pomponii Mellae Coſmographiae liber explicit.* Capita non numerat, ſed narrationem in parva ſegmenta, praeviis etiam inſcriptionibus, dividit. Nec in margine, nec usquam alibi adſcripta eſt nota. Graeca ſemel literis Graecis exprimit 1, 1, 5. etſi adſperſo vitio ποθρμὸς; ita enim exſtat, non ποδρμὸς, uti refert Panzer in Annal. typogr. Vol. 4. p. 160. reliqua Latinis ſemper reddit. Vitiis ſcribendi ſcatet gravioribus verborumque corruptionibus, quales tulit codex, quem repetit. Paſſim tamen etiam ſubminiſtrat lectiones bonas et reconditas. Eam fere ſemper et tantum non in omnibus ſiſtit Toriniana, Pariſ. 1507. quamvis haec etiam, ut 1, 2, 4. continet, quae in illa deſiderantur, unde iſta vel aliunde depromſit, vel eundem codicem diligentius ſecuta eſt. Quod docuit comparatio, quam lubentiſſimo ſtudio adiuvit Deniſii humanitas, eadem editio repoſita exſtat in [1]) bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, tantum quod ſic incipit: *Orbis ſitum dicere* — ex quo intelligitur, primam literam, uti tunc ſolebat, artificis manu imperite quidem in exemplari Lipſienſi eſſe adpictam, nec ad typothetae ignorantiam, vel negligentiam referri poſſe, quod exiſtimabat Erneſti. Commemorat eandem Alter in nota ad librum: Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der Gr. und Röm. Klaſſiker mit Anmerkungen von Harwood, Vindob. 1778. 8.

1) Cf. Denis ſupplement. in Maittairii Annales T. 2. p. 615.

p. 259. At Erneſti narrationem, non ipſam editionem ante oculos habuiſſe videtur. Ceterum de eius vetuſtate, quam Erneſti praedicat, dubitationem movit [2]) Periergus Deltophilus, qui in bibliotheca Gr. et Lat. — Berolini 1784. 8. p. 71. haec ſcribit: „Pomponii Melae Coſmographia, editio primaria princeps 4. Mediolani 1471. Opinio Erneſti de editione quadam vetere in bibliotheca Senatus Lipſienſis hac forſan antiquiori, cum nullo fundamento nitatur, pro mera coniectura eſt habenda.“ Equidem, quae vidi et cognovi, retuli, litem dirimere, vel eius cauſam definire nequeo. Perizonio in notis eſt optima anonyma ad 1, 6, 2. et alibi, etſi diſerte eam in recenſendis Perizonii ſubſidiis Lipſienſibus Dukerus non indicavit, quod et miratur Erneſti. Miſcet eam Panzer c. l. cum editione alia, quae infra poſt annum 1488. commemoratur, uti adparet ex eo, quod praemitti ſcribit Hermolai Barbari praefationem ad Alex. 6. Pontificem, quae in hac non comparet.

2. Mediolani 1471. 4.

Pomponii Mellae Coſmographia ſ. de ſitu orbis. Ita eam commemorat de Bure in bibl. inſtructive T. 1. p. 49. et ſic deſcribit: Le volume commence par le texte de l'ouvrage ſans aucun intitulé, ni autre diſtinction quelquonque, et on lit à la fin du dernier feuillet la ſouſcription ſuivante imprimée tant

2) Comes a Rewiczky.

en lettres capitales, qu'en lettres ordinaires: *Pomponii Mellae coſmographiae liber explicit Mediolani ſeptimo Kalendas Octobres milleſſimo quandringenteſſimo ſeptuageſſimo primo.* Eadem etiam inde verba repetit Deltophilus in bibl. Gr. et Lat. p. m. 71. (ed. 1.) tantum quod numeros ſimplici ſ, minus tamen recte ſcribit. Eandem plures etiam vel indicarunt, vel deſcripſerunt, in quibus di Blaſi in lettera terza intorni ad alcuni libri di prima ſtampa del Secolo XV. quae legitur in Opuſcoli di autori Siciliani T. 14. p. 336. Maittairius in annal. typograph. T. 4. p. 304. Funccius in tractatu de imminente Lat. L. ſenectute p. 536. Orlandi in origine della Stampa p. 399. et in primis Saxius in hiſtoria literaria typographiae Mediolanenſis, quae praemiſſa eſt Philipp. Argelati bibliothecae ſcriptorum Mediolanenſium T. 1. p. 117. eamque ſervari ſcribit in bibliotheca Ambroſiana, ſed ita deſtitutam omnibus praeviis adnotationibus, quibus dignoſci poſſit, e quo penu prodierit, aut quem habuerit editionis patronum, ut vix in calce impreſſionis locus, Mediolanum videlicet, innoteſcat. Poſt p. 559. procul dubio ab Antonio Zaroto, quo etiam auctore anno ante Terentius vulgatus erat, impreſſam exiſtimat, cum per illud tempus Mediolanenſem typographiam ſolus ille exerceret. Idem tamen etiam in numeris ſimplex ſ ponit. Voſſius eam male ad annum 1472. profert, ut ab eo decepti Fabricius in bibl. Lat. T. 1. p. 345. et Harwood p. 259. c. l. Primus hanc editionem, etſi prave, typothetae forte

vitio, an. 1470. notat, quantum quidem licuit, ad Melae uſum adhibuit Abr. Gronovius. Nempe quod ipſe queritur in praefatione ad edit. 1748. ab Hannibale Cruceo (della Croce) ſingulis fere paginis in eius exemplari plurimae voces ſcalpello erant eraſae inque earum locum ſubſtitutae emendationes Hermolai Barbari, ut parum inde fructus perciperetur. Videtur illud ipſum exemplar fuiſſe, quod notatur in catalogo bibliothecae librorum MSStorum Angliae et Hiberniae. (Oxonii 1697. f.) Ita enim ibi T. 2. p. 71. n. 2771. legitur: Pomp. Mela editionis Mediolanenſis 1471. a Cruceio emendatus. Rariſſima editio, et quae in pauciſſimis bibliothecis reperiatur. Fuit olim in libris Ducis de la Vallière, ut docet catalogus T. 3. p. 20. [3]) magnoque pretio poſt venditam fuiſſe, notat Deltophilus p. m. 72. c. l. In libris Pinellii producit etiam catalogus Vol. 1. p. 362. n. 2180. Equidem eius lectiones ex bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis exemplari deſcriptas habui ſingulari benevolentia Deniſii, operam dante viro docto, cui conlationis curam demandaverat. At quod poſtea, quam eadem editio in bibliothecam Electoralem Dresdenſem inlata fuerat, cognovi, ſaepe vel oculi, vel manus aberrarunt, ut falſae inde lectiones enotarentur, quas, ne quis in errorem inducatur, in erratis indicabo. Ceterum raro discrepat a ſuperiori editione, quod ex notis criticis adparet.

3) 163 livres.

3. Venetiis 1473. 4.

Pomp. Melae Cosmographia cum comment. Cocchi. Ita eam produxit Maittairius T. 4. p. 331. c. l. ubi in nota legitur: biblioth. Norib. Sauberti p. 123. ipsa editio in iis ponitur, quas plerasque omnes (sic) bibliotheca Noriberg. sibi vendicet. Eandem commemorant Beughemius in incunabulis typogr. p. 111. *cum commento Cocchi*, Orlandi in Origine della Stampa p. 390. *cum comment. Cocchii.* Cf. etiam Denisius in supplemento — Maittairii T. 2. p. 776. qui addit *per Nic. Ienson in f.* Omnes tamen referunt ad annum notatum, quare errat Labbeus in bibl. nova MSSt. p. 357. qui proximum annum adponit. Quod in Cocchi nomine paullum discrepant viri docti, intelligitur ex litera finali *i*, quae antiqua et lapidaria forma solet pingi, et duplex *i* reddit. Equidem de hac editione, quam nec videre, nec exquirere potui, iudicare nequeo. Panzer certe in annalib. typogr. T. 3. p. 95. ex Maittairio et Sauberto commemorat, sed cum dubitatione. Cocchum idem censet esse Cochleum, cuius editio prodiit 1512. At tum scribendum erat Cocleus. Vid. ad annum 1512.

4. Venetiis 1476.

Ita simpliciter nec addita forma hanc editionem memorat Orlandini pag. 28. c. l. eorundem opera curatam, qui deinceps nominantur.

5. Venetiis 1477. 4.

P. M. Cosmographia. In fine legitur: *per Bernardum Pictorem et Erhardum Ratdolt de Augusta una cum petro Loslein de Langencen correctore ac socio.* Vid. Maittaire T. 4. p. 374. Orlandini p. 28. Catherinót ars imprimendi apud Wolfium in monumentis typogr. T. 2. pag. 943. Antonius in bibl. Hispan. vetere T. 1. lib. 1. c. 11. p. 52. ex Labbeo in bibl. MSStor. p. 357. Zapf in annalibus typographiae Augustanae p. 98. Panzer in Annal. Typogr. T. 3. pag. 133. Secundam hanc Melae editionem, ut an. 1482. factam tertiam, falso putat Harwood p. 259. c. l. Primum hic correctoris nomen adpositum adparere monet Loescherus in Stromateo sect. 11. p. 286. etsi correctores ante adhibitos fuisse lubenter largitur. Ex tot virorum doctissimorum testimoniis, quibus accedunt diserta eius mentio facta a Perizonio p. 889. in ed. Gronov. Melae an. 1748. et catalogus bibliothecae Bodlejanae Vol. 2. p. 166. vix dubitare de hac editione liceat, cuius impetrandae spes etiam laeta adfulserat, cum Norimbergae eam servari cognovissem ex Murrii memorabilibus bibliothecarum publ. Norimbergensium P. 1. p. 282. At brevi post plane illa evanuit, cum de Murr, quem ideo literis adieram, rescripsisset, inveniisse se, facta diligentiori exploratione, in numerorum lectione erratum fuisse, quod et ipse post publice monuit. Nisi igitur etiam alii sic erraverint, vere exstat haec editio.

6. Venetiis 1477. 8.

Adfert eam Maittairius T. 1. P. 1. p. 374. ſic: *P. Mela d.* XV. *Nov. Venetiis* 1477. 8. Commemorat etiam Orlandi p. 390. c. l. qua fide uterque, equidem iudicare et conſtituere nequeo.

7. Venetiis 1478. 4.

Praefixus titulus hic eſt: (alium enim ignorat) *P. Mellae Coſmographi de ſitu orbis liber primus*, cui proxime *prooemium* rubro colore ſcriptum ſubiicitur. In fine haec leguntur: *Impreſſum hoc opusculum Venetiis per Bernardum pictorem et Erhardum — ſocio* (ut in ed. 5.) MCCCCLXXVIII. *Laus Deo.* Charta eſt craſſa ac nitida, literae conſpicuae et probe tinctae, ſyllabae rarius notis expreſſae, nec certe obſcuris, *ae* et *z*, uti fit in illius aevi codicibus, efferuntur per ę et *c*, Capita omnino non habet, tantum in margine potiora argumenta regionum et locorum notat, quae ipſo uſu cognovi. In pluribus haec editio bibliothecis invenitur.

8. Venetiis 1478. 4.

Haec editio vix ſemel iterumque, nec niſi in literis ſingulis a priori discrepat, quod utriusque uſus docuit. Sic 1, 9, 3. illa habet *hyppopotamos*, haec *hippopotamos*. Conſentiunt etiam verſiculorum numero paginae cum ipſis verbis usque ad lib. 3. cap. 4. unde haec uno verſiculo augetur et discrepantia infertur. In fine haec ponit: *Impreſſum*

hoc opusculum Venetiis per Franciſcum renner de Hailbrun MCCCCLXXVIII. *Laus Deo.* De Murr in Memorabilibus bibl. publicar. Norimbergenſ. P. 1. p. 282. ubi eam commemorat, habet: *per Ioh. Renner.* Quam vere, ignoro. Equidem prius legi et notavi. Venetam editionem anni 1478. omnino plures producunt, in iis Fabricius, Erneſti, Orlandi p. 30. et 390. c. l. di Blaſi p. 335. c. l. omiſſo modo, modo addito eius auctore. Utramque tamen novit Panzer in annal. typogr. T. 3. p. 138. et 142. et commemorat Eckhard in Nachrichten von einigen ſeltnen Büchern der Eiſenachiſchen Bibliothec p. 20. 21. Ego etiam utramque manibus oculisque verſavi, illam ex bibliotheca Senatoria Lipſienſi, hanc ex Goettingenſi Heynii ſingulari benevolentia ad me transmiſſam, notatasque lectiones adpoſui. Ne tamen cui mirum videatur, eodem anno in eadem urbe bis eundem auctorem tunc emiſſum typis fuiſſe, idem etiam in aliis animadvertitur, ut in Livio, qui bis eodem anno non ſolum, ſed et auctore Moguntiae 1518. f. 1519. levi tantum cum varietate [4]) impreſſus eſt. Idem ex uſu ſuo monet Dukerus in praefatione ad Thucydidem haud procul ab initio, editionem Hervagii Baſileenſem utramque anno 1540. factam in quibusdam locis diſcordare. Similia exempla dabit Mela ann. 1536. 1540. et 1666. Alterutram vero adhibuit iam Perizonius, forte, quod vero eſt ſimilius, priorem, quia

4) Vid. Schummel Bibl. von ſeltnen — Büchern.

Lipſienſis bibliothecae ſubſidiis uſus eſt. Haec altera nuper in bibliothecam Electoralem Dresdenſem inlata eſt.

9. Venetiis 1482. 4.

Titulum praefert hunc: *P. Mellae Coſmographi Geographia: Priſciani quoque ex Dionyſio Theſſalonicenſi de ſitu orbis interpretatio.* In fine: *Erhardus ratdolt Auguſtenſis impreſſit Venetiis* — 1482. *Laus Deo.* Praefixa eſt tabula lineis ſignisque diſtincta, qua cernitur expreſſa Europa, Aſia et Africa et pelagus Indicum; in ipſo circuitu venti adpoſita hac inſcriptione: *Novellae etati ad geographie ūmiculatos calles humano viro neceſſarios flores aſpiranti votū bñmerēnti ponit.* Diviſus eſt Mela in ſegmenta inſignioris argumenti praemiſſis inſcriptionibus, v. c. in libro primo *prooemium, mundi in quatuor partes diviſio, ſumma Aſiae.* — In reliquis libris ipſe tantum liber indicatur ſic: *P. M. de ſitu orbis liber ſecundus. P. M. Coſmographi liber tertius.* Externam eius ſpeciem deſcribit bibliotheca Firmiana (Mediolani 1783. 4.) Vol. 4. ſic: caracteribus ſemigothicis grandioribus nitidisque, ſimulque monetur ignotam eam fuiſſe Langleto du Fresnoy et de Burio. Commemoravit eam Maittaire p. 167. c. l. Seemillerus in incunabulis typogr. Faſcic. 2. p. 113. Conſpirat fere cum editione Veneta ſuperiori utraque, nec niſi raro discrepat. Conſulendi copiam liberaliſſime conceſſit bibliotheca Dresdenſis. Poſt in multis aliis bibliothecis repoſitam etiam eſſe intellexi.

10. Venetiis 1488. 4.

P. M. cosmographia cum commento Cocchi, de quo supra dixi. Ita vero commemorat Maittairius in annal. typogr. T. 1. P. 2. p. 561. et in nota adlegat testem bibl. Noriberg. Sauberti p. 163. ex quo fonte notitiam manasse. putat etiam Panzer in annal. typograph. T. 3. p. 264. cum nulla omnino sit, et Cocchum de Cochlaeo intelligit. Vid. ad ann. 1473. Notatur quidem in catalogo impressorum librorum in bibliotheca Bodlejana Vol. 2. p. 166. P. Mela — Venet. per Francisc. Renner de Hailbrun 1488. 4. sed ex vitio operarum 1488. prodiisse videtur pro 1478. Ego ipse nec vidi, nec exquirere potui.

Aetas secunda.

Conditore Hermolao Barbaro, cuius emendationes proxime sequentes editiones tantum non omnes reddiderunt.

11. S. l. et anno 4.

Ponenda hic videtur editio ea, cuius auctor vulgo Hermolaus Barbarus fertur. In fronte gerit tantum haec verba: *Pomponius Mela.* In aversa parte legitur praefatio Hermolai Barbari ad Alexandrum VI. Pontificem maximum, quam plures repetierunt, constatque foliis 38. Literae sunt luculentae, charta satis candida. Hanc eandem censeo esse editionem, quam Kappius in catalogo editio-

num, editioni ſuae alteri praepoſito, remittit ad annum 1488. et Romae forte factam addit. Circa idem tempus vulgatam eſſe putat Hagerus in Geogr. Bücher-Saal T. 2. P. 7. pag. 511. Romamque illi locum natalem tribuit cum Erneſtio apud Fabricium p. 77. c. l. etſi hic melius ad annum 1493. profert. Nempe cum exhibeat notam illam praefationem, quia Alexander VI. regnavit ab anno 1492. ad 1503. intra hoc ſpatium certe prodiit. Porro cum prima ſequatur emendationes Hermolai Barbari, paucis quibusdam exceptis, quae forte librarii negligentia omiſſa ſunt, illis certe vulgatis demum adparata eſt. Neque ſolum Hermolaus ipſe in caſtigationibus ad 2, 5. f. certo indicio declarat, quo eas anno ſcripſerit; refert enim illo anno Granatam in poteſtatem Hiſpaniae principum conceſſiſſe, quod factum eſſe conſtat anno 1492; ſed et ex hiſtoria literaria diſcitur, ſecundis caſtigationibus Plinianis has fuiſſe adiectas et Romae formis Eucharii Argentei, Germani, Idibus Febr. 1493. fol. exſcriptas, quam quidem editionem ipſe ad Gronovianam repetitionem, vitioſam ſaepe, ex Dresdenſis bibliothecae gazis conferre licuit. De aliis caſtigationum editionibus, in quibus Maittairius aliique paſſim errant, cf. Denis Merkwürdigkeiten der Garelliſchen Bibliothek p. 217 ſq. ubi etiam ipſas deſcribit. An vero haec Melae editio ipſum Hermolaum habeat auctorem et moderatorem, cum omnes, qui de eo aliquid tradiderunt, adeoque Mazzuchelli in libro: Scrittori d'Italia Vol. 2. P. 1. p. 256 ſqq.

ſileant, evinci et ſtatui non poteſt. Vero tamen eſſe ſimillimum addita facit praefatio Hermolai, eiusque rei famam ſatis fuiſſe pervulgatam, comprobant editiones proximae, quae illum auctorem in fronte gerunt. Deſcripſit eam Freytagius in apparatu literario T. 1. p. 127. qui illi etiam Italiam natalem adſignat eandemque putat, quam adfert Fabricius in bibl. Lat. (ed. 1.) Vol. 2. lib. 2. c. 8. p. 476. Perizonius tamen ad I. 1, 2, 3. p. 69. Venetam eandem adpellare videtur. Eius uſum conceſſit liberalitas Heynii, poſt etiam exemplar eius ad me miſit humaniſſimus Langerus, in cuius margine antiqua manus non ineptas emendationes adleverat. Charta, ſi quis deſcriptionem deſideret, minus eſt candida, quam Venetarum, quas omnino nitore externo minime aequat. Textus parvis tantum ſegmentis diſtinguitur, nullis vel capitibus, vel capitum numeris adpoſitis. Graeca Latinis literis reddit. In fine haec leguntur: *P. Melae Coſmographi libri tertii et ultimi finis.* Ex ipſa praefatione potiora adponere hic liceat: *Melae lectio ad hunc diem usque adeo mendoſa ferebatur, ut nec agnoſcere autorem ſuum poſſet, nec agnoſci. Trecenta in eo, quae manabant ulcera, vel cicatrice, vel ſplenio contexi-mus.* Neque iſta temere iactavit. Sunt enim eius emendationes adſtrictae quidem et breves, ſagaces tamen plerumque et probabiles ita ſaepe, ut poſterior aetas in iis adquieſcere non dubitaverit. Videtur in iis ante oculos habuiſſe lectiones ed. Venetae 1482. Adſperſa tamen fert vitia typographica plura,

ut 2, 4, 5. *picta* pro *dicta;* §. 9. *perae* pro *petrae;* 3, 4. f. *ferile* pro *ferire;* 3, 8, 1. *ſonitum frabricant* pro *ſontium fabricant*, aliàque. Accepit Hermolai emendationes in notis propoſitas, etſi vitiata paſſim ſcriptura; attamen etiam in nonnullis recedit. Sic 2, 6. f. Hermolaus emendabat *cingente freto*, ubi textus ſervavit acceptum nomen *Cingenteratum.*

Bononiae 1497. 4.

P. M. — ad calcem: *impreſſum Bononiae per Benedictum Hectoris bon. Anno Domini* MIIIIƆ *Eid. Decembr. Io. Bentivolo feliciter regnante.* Indicat hanc editionem Denis in ſupplemento Annal. Typographici Maittairii P. 1. pag. 431. At nulla eſt haec editio. Nempe, quod poſtea vir doctus a me monitus literis ſignificavit, adpenſus erat Melae alius liber, primo intuitu neglectus, uterque uno volumine comprehenſus, ad cuius initium pertinet P. Mela, ad finem reliqua verba. Quod cum ignoraſſet Panzerus, hanc editionem inde repetiit in annal. typogr. T. 1. p. 234.

12. Salmanticae 1498. 4.

P. Melae Coſmographi de ſitu orbis libri tres. Ad extremum haec leguntur: *Opus praeclariſſimum Pomp. Melae Coſmographi cum introductionibus et aliis tantopere neceſſariis per Franciſcum* Nuñis *de la Yerva, Medicinae Profeſſorem, elaboratis. Explicit feliciter. Impreſſum vero Salmanticae (cuius loci elongatio ab Occidente* IX *et ab aequinoctiali* XLI *gradibus conſtat)*

anno Domini MCCCCXCVIII. *Sole Tauri punctum gradiente primum.* 4. Adnexum reperitur Aelii Antonii Nebriſſenſis Grammatici in Coſmographiae libros introductorium. Ipſa Pomponii Coſmographia, quae praecedit, figuras exhibet et ſummariam deſcriptionem tabulae noſtri orbis. Rariſſimam hanc editionem, et quae vix egredi Hiſpaniae limites auſa videtur, poſſedit Majanſius et in ſpecimine bibliothecae Hiſpano-Majanſianae deſcripſit Davides Clemens (Hannov. 1753. 4.) pag. 12 ſq. Tantum haec porro addit Majanſius: Pomponii Melae libri multis mendis ſcatent, ſed, prout ſunt, aeſtimari debent, ac ſi manu exarati eſſent, propter variantes lectiones. Uſus eſt illa editione Petr. Io. Nunneſius in adnotatis, quae protulit in editione Melae 1748. A. Gronovius inde a p. 521. et varias eius lectiones ſaepe adfert. Ignoravit eam, quod mirum recte videatur, Nicol. Antonius in bibliotheca Hiſpanica, quem omnino ſaepe deceptum falſa prodidiſſe ſcribit Majanſius p. 3. at indicant Denis in ſupplemento typogr. Maittairii P. 1. p. 450. ad an. 1498. et Panzer in annal. typogr. T. 3. p. 2. Eo igitur magis contenderam, ut eius ſubſidiis frui poſſem, contigeratque etiam, ut invenirem, cuius ope illa Madriti exquireretur et ſat lauto pretio emta in manus meas perveniret. At ſpes eventu caruit. Cum enim Hiſpaniae et Franco-Galliae confinia adtigiſſet, in medio curſu cum Sanctii editione, illius comite, belli tunc graſſantis voragine intercepta et abſorpta eſt.

13. Venetiis 1499. 4.

Variant auctores in huius editionis mentione. Erneſti c. l. Pariſiis factam ſcribit. Orlandi in origine della ſtampa p. 390. Bernardum Venetum auctorem memorat. Maittairius T. 4. p. 709. c. l. ſic producit: *P. Mela — per Bernardum Venetum de Vitalibus* XXIII April. Venet. 1499. 4. Equidem, cum ipſo uſu eam cognoſcere non licuerit, dirimere eam controverſiam et verum adſerere nequeo. Si recte adfirmavit Cocleus in edit. an. 1512. cum una tantum ante hunc annum editio Melae in Gallia adparata fuerit, (an. 1507. 4.) Venetis illa tribuenda eſt, et falſa tradidit Erneſti. Suſpectam et fictam habet Panzer T. 3. p. 463. c. l.

14. S. l. 1501. 4.

Haec editio, quam diu deſideraveram, innotuerat primum ex deſcriptione, quam exhibet Hummel in libro Neue Bibliothec — von ſeltnen Büchern P. 1. N. 8. p. 42 ſq. qui raram dicit parumque notam. Titulum praefert hunc: *Pomp. Mela Coſmographus de ſitu Orbis Hermolai Barbari fideliter emendatus.* Charta candida, literarum formae conſpicuae et nitidae. In fronte ſub titulo expreſſa eſt figura, cui inſcriptae ſunt literae I. B. S. quae indicant nomen typographi, qui fuit Io. Baptiſta Seſſa, ut ipſe profitetur plenis verbis ad libri calcem, ubi etiam eſt brevis adlocutio ad lectorem de reviſo et diligenter emendato Mela. Textui prae-

fixa eſt Hermolai Barbari praefatio ad Alexandrum VI. Liber I. habet capita 6. II. 5. III. 4. quae textu finito in tabula capitulorum ſummatim referuntur. Adlocutionem in fine repetit editio proxima. Hummel c. l. repetitam eam eſſe putat in illa, quae ſ. l. et a. emiſſa foliis conſtat 38. Atqui eadem eſt Hermolai Barbari ante deſcripta, cuius etiam lectiones amplectitur, iisdem ſaepe adeo adſperſis vitiis, ut *picta*, *ſonitum frabricant*, *perae* et ſimilia. Rariſſimam eſſe, inde adparet, quod ignorant Maittairius et Fabricius Erneſtii. Quo gratius accidit, quod eius copiam fecit bibliotheca Schwartziana Altdorfii. Poſſidet eam etiam bibliotheca Caeſarea Vindobonenſis.

15. S. l. 1502. 4.

P. Mela Coſmographus de ſitu orbis Hermolai Barbari fideliter emendatus. Averſa pagina legitur Hermolai praefatio ad Alexandrum VI. Sequitur textus ad eandem Hermolai editionem conformatus, repetitis etiam paſſim vitiis, ita tamen, ut deſcripta ſit potius ex praecedente, ex qua etiam in fine repetit capitulorum tabulam et adlocutionem ad lectorem, quae ultimam paginam occupat, his quidem verbis additis: *nunc reviſa et fideliter emendata miraque arte impreſſa per Albertinum de Liſona Vercellenſem Foelici auſpicio tibi nunc impartitur. Vale. Anno Domini* MCCCCCII. *Die* XIIII *Mai.* Praeter vitia, quae traxit ex ſuperioribus, admiſcet alia multa eaque ſatis gravia, ut *marae*, (mare) *ſigne*, (ſine)

pinget, (piget) *procus*. (procul) Alia communia habet tantum cum editione an. 1501. unde ex illa praecipue repetita videtur. Porro coniungenda ſaepe divellit, ut *inter ius;* Graeca, ut tunc fere ſolebat, Latinis literis effert. Duo puncta illi ſunt, quae nunc commata, vel inciſa minima, ut etiam in ſuperioribus illis. Perizonius, qui illa uſus erat, vocat Vercellenſem, cuius cauſa ex dictis diſcitur; at minus recte Vercillenſem Fr. Otto Menckenius, qui eam tanquam Fabricio Maittairioque ignotam deſcripſit in Miſcellaneis Lipſienſibus novis Vol. 6. p. 143 ſq. etſi de textu nihil adfert, tantum monitum ad lectorem repetit. Idem Venetiis adparatam exiſtimat; nec temere, quia ibi illo tempore artem typographicam Albertinus de Liſona exercuit. Eius uſum adnuente Schroeckhio, praeceptore quondam venerabili, conceſſit bibliotheca Univerſitatis Vitembergenſis.

16. Pariſiis 1507. 4.

P. Mela de totius orbis deſcriptione. Author luculentiſſimus Nunquam antea [5]) *citra montes impreſſus.* Subiicitur his inſigne typographi Iohannis Petiti. Averſa pagina legitur epiſtola dedicatoria Godofredi Torini Biturici ad Philibertum Baboum, civem Bituricum Sereniſſimi Gallorum Regis dispenſatorem — in qua Melam de mendis querentem ex Virgilii Aen. 2, 270 ſq. (pro *Hector* poſitum eſt

5) Cf. ad edit. 1499.

author) inducit, ſubiunctis aliis ſimilibus poetarum locis. Deinde, quod graviſſimum et difficillimum iactat, de emendationis cura adhibita loquitur. Scripta eſt Parrhiſiis (ſic) VI. No. Decembr. MCCCCCVII. Verba textus ſat luculenter ſunt expreſſa, textus ipſe in capitula diviſus, quorum numeros margo adponit. Liber I. habet capita 7. II. 5. III. 4. Adiecta ſunt rerum potiorum indicia, adtinguntur etiam Hermolai Barbari correctiones, quibusdam locis vox *attende* eſt adpoſita. Textum excipit brevis epiſtola ad eundem Philibertum de Mela emendato, ſcripta *Parriſiis Nono Calend. Ianuarias* et interiectis paucis verſibus index in Melam. In fine notantur vitia typographica, etſi plurima deſunt omiſſa. Tandem haec leguntur: *Anno* — MDVII *decima die Ianuarii Impreſſum eſt hoc opus per Egidium Bituricum diligentiſſime recognitum Parrhiſiis*, quibus verbis ſubiecta eſt tabula ligno inciſa, in qua infima haec: *Gilles de gourmont.* Haec editio ſcatet vitiis et erroribus, quorum parvus tantum numerus ad libri calcem indicatur, in primis in ſcriptura locorum etiam notiſſimorum omnia fere corrumpuntur et miſcentur. At reddit tantum non in omnibus, uti ex comparatione, cuius copiam fecerat bibliotheca Electoralis Dresdenſis, intellexi, editionem illam antiquiſſimam, quam ſupra primo loco poſui, ita quidem, ut inſigniora quaedam eius vitia emendet, etſi haec bona novis ſubinde deprimit. In aliis tamen contra discrepat, et Mediolanenſem 1471. reddit, uti conligi poteſt

ex lib. 1, 16. paſſim et alibi. Perizonius, qui ea etiam uſus erat, adpellat Torinianam.

17. Wittembergae 1509. 4.

Titulus nudus: *Pomponius Mela.* Averſa pagina legitur epiſtola Magiſtri Bartholomei Steni Brigenſis ad clariſſ. — reformatores ſtudii Wittenburgenſis, (ſic) in qua exponit conſilium de Mela, auditoribus explicando ideoque nunc edito; quae fere prolixius repetuntur in praelectione in libellum Pomponii textui finito ſubnexa praeter Geographiae laudes. In fine haec: *Impreſſum Wittemburgii per Ioannem Viridimontanum* Anno MDIX. Textus in omnibus plane refert editionem Hermolai Barbari antea recenſitam, nec niſi rariſſime ab illa diſcedit, et ubi Stenii manum expertus eſſe videtur, uti 1, 16, 2. habet *Euthanae*, §. 3. *Iaſio.* Cf. 2, 6, 5. 2, 7, 11. et alibi. Interiorem cognitionem huius editionis debeo inſigni benevolentiae Geisleri, bibliothecae Gothani quondam praefecti, qui et omnino in Melae ſubſidiis conquirendis promtiſſimum ſtudium et operam praeſtitit.

18. Norimbergae 1512. 4.

Coſmographia P. M. *authoris nitidiſſimi — parvo quodam compendio Ioannis Coclei adaucta.* Averſa pagina legitur epiſtola Coclei ad Antonium Kreſs I. V. D. — Laurentiane eccleſie prepoſitum, in

qua primum prolixius disserit de Geographiae praestantia, unde progreditur ad Melam, quem Iulii Caesaris aequalem fuisse putat; tum queritur, se necquidquam diu exemplaria ex Colonia exspectasse, ideoque nova imprimenda fuisse. Scripta est sexto Id. Octobr. 1511. Sequitur deinceps Mela, qui in capitula cum numeris divisus est, sic ut primus liber contineat capp. 10. secundus 12. tertius 15. Subiuncta est peroratio in Melam ad lectorem, in qua dicit, Gallos [7]) semel excusisse, (sic) Venetos in lucem protulisse, ambos [8]) absque capitum titulorumque distinctione; Gallicum exemplar esse mendosum punctisque male distinctum, etsi nec ipse semper meliora dedit. Tandem, praemissa epistola ad Bilibaldum [9]) Pirckheimer, additur compendium Geographicum, cui adnexa est epistola Benedicti Chelidonii ab Io. Cocleum 1512. 10 Calend. Febr. Hoc igitur demum anno prodiit, quod notandum est propter eos, qui ad annum 1511. reiiciunt. Sequitur fere editionem Torinianam (a. 1507.) et, ubi discedit, Venetarum aliquam, teste etiam Dukero in illa epistola, quae in ed. Melae A. Gronovii a. 1748. p. 822. legitur, reddit.

7) V. ad ann. 1507.

8) At vid. antea.

9) Cf. Heumanni documenta literaria varii argumenti, (Altdorf 1758. 8.) ubi p. 9. haec de Io. Cochlaeo (sic) scribit: Pomponii Melae Geographiam excudendam curavit, eamque anno 1511. Pirckheimero nuncupavit; (vid. opera Pirckheimeri p. 327.) sed vel Pirckheimeri hortatu, vel scholae fastidio satiatus pristinum consilium mente sua revolvebat. — Italia nimirum visenda erat.

Vitia, quae irrepſerant typographica, in fine indicata emendat, quod neglectum eſſe vidi a Dukero ad Perizonii notas, ut 1, 9, 6. etſi emendatis aliquanto inſunt plura. Reizii beneficio eius lectiones notare licuit. Ceterum Erneſti in Fabricii biblioth. Lat. T. 2. p. 77. editorem minus accurate, ut alii quidam, nominat Cochlaeum, uti iam monuit Seyboldus in proluſione ſcholaſtica, cui inſunt correctiones et ſupplementa bibl. Lat. Fabricio-Erneſtianae p. 6. (Buxovillae 1790. 4.)

19. Viennae 1512. 4.

P. M. Geographiae Libri III. *Hermolai Barbari in eundem integrae caſtigationes.* Titulum ſequitur praeter indicem epiſtola Io. Camertis (qui ab urbe patria Camerina ſic dici maluit, cum verum nomen gereret Io. Ricutius Vellini) ad Theobaldum Offenburgenſem, ſcripta 1512. in qua hunc laudat, quod ipſo ſuadente plurimum pariter et iuvante Mela nuper caſtigatius, quam alias, impreſſus fuerit; ſe indicem auctoris addidiſſe, cui ſubiicit tetraſtichon. Indicem excipit ipſe Mela, in capita ſine numerorum tamen notis diviſus, quae a Gronoviana diſtinctione discrepant. Sic cap. 19. libri 1. apud Gronovium in plures hic eſt diſſectum particulas, *Aeolis, Bithinia, Paphlagonia, Chalybes,* ut et poſt multi alii fecerunt. Textum excipit Hermolai Barbari praefatio ad Alex. VI. cum eius caſtigationibus. In fine haec: *Viennae per Hieronymum Victorem Philovallem et Ioannem Singrenium de Oeting Calcographos*

diligentiſſimos pridie nonas Septembres anno 1512. Inde vero adparet, cur et qua ratione Camertis haec editio adpelletur. Amplectitur plerumque emendationes Hermolai Barbari, de quo ex lectionibus prolatis iudicare licet. Diligenter eam deſcripſit Denis in Wiens Buchdrucker-Geſchichte p. 71 ſq. qui putat, primam eſſe ſaeculi 16. cui proxima repugnant, poſt Lipſ. 1521. 4. redditam a Lothero. An vero Io. Camertus (ſic) etiam ſcholia ad Pomponium Melam ſcripſerit, quorum mentionem facit Salvator [10]) Vitalis in dedicatione Annalium Sardiniae ad Ferdinandum magnum Hetruriae ducem, et ſi ſcripſit, an typis fuerint vulgata, ignoro et dubito.

20. Pariſiis 1513. 4.

P. Melae ſcriptoris luculentiſſimi maxima cura recogniti Coſmographia. In fronte cernitur figura ligno inciſa, in qua media adparent literae I. P. infra Iohan Petit legitur; extrema pagina *venalem apud Ioannem parvum reperies in vico Divi Iacobi ſub Lilio aureo.* Hinc ſequitur dedicatio his inſcripta verbis: *liber P. Phoenix Amanaeo Fuxenſi protonotario Candalenſi quam illuſtriſſimo Ac regis Navarrae nepoti S. P. D.* Fert autem in aliis haec, *Io. Parvum bibliopolam ad ſe miſiſſe Melam lacerum et mancum, ut, ſi non omnino ſanari poſſet, valeret aliquanto melius.* Tum: *Recognovi quidem, non quaſi per Tranſennam*

10) V. theſaur. Siciliae Vol. 15.

aſpicerem, ideoque minus voluptatis, laboris plus mihi attulit. Subiungitur textus, cuius lib. 1. habet capita 7, ſecundus 5, tertius 4. In fine textus haec: *P. Mela finitus impreſſus ac iterum reviſus et emendatus* (et vere differt ab edd. Hermolai et Camertis) *ſumptibus Iohannis parvi bibliopole alme univerſitatis Pariſienſis* — 1513. Ea perluſtrata cognovi ex prioribus editionibus maxime ſequi Torinianam an. 1507. etſi novas etiam paſſim adfert lectiones. In locis, quae auctori eius graviora viſa eſſent, ad marginem legitur *attende*, ut 3, 6, 10.

21. Lipſiae f. a. 4.

P. M. *de ſitu orbis ab Hermolao Barbaro et Io. Camerte caſtigatus cum indice.* Infra: *Lipſiae ex aedibus Wolffgangi Monacenſis.* Hic varie nomen ſuum libris, quos equidem vidi, ſubiecit, veluti *Baccalaureus, Wolfgangus Stoeckel Monacenſis Calchographus* et *Wolfgangus Molitor.* Facit huc, quod tradit Goetzius de bibliotheca Senatus Lipſienſis pag. 4. „Wolfgangus Molitor alias Stoecklin dictus de Monaco, Baccalaureus Erffurtenſis et civis Lipzenſis, unde ſua de illo deſcripſit Vogel in annal. Lipſ. p. 1042. Wolfgang Müller, ſonſt Stoecklein genannt, von München bürtig.“ Solebant enim omiſſo nomine gentilicio praenomen ponere illique adnectere patriam, uti Renner vocatur Franciſcus de Hailbrun. Exercuit autem artem ſuam Lipſiae ab anno 1495. ad 1517. de quo v. Leich annales typographiae Lipſienſis pag. 70 ſq. qui libros per

illud ſpatium ab eo editos profert, Maittairius in annal. typogr. T. 1. p. 303. qui etiam anni 1495. documentum exquiſivit, ſed et Goetzius c. l. an. 1492. quo Priſcianum edidit, itemque Panzer in Annal. typogr. Vol. 1. p. 485. Circa annum 1519. Dresdam commigravit, ubi typographus factus eſt Georgii, Saxoniae Ducis, de quo cf. Geſsner Buchdrucker-Kunſt (1740.) pag. 70. et 91. et Mülleri incunabula typographiae Lipſ. p. 12. In fine ſubiicitur hic mallei inſigne additis literis B. M. S. Porro in hac editione averſa pagina prima et duabus fere proximis legitur Tranquilli [11]) Parthenii carmen Aſclepiadeum, in quo ſummam libri elegantiam praedicat, licet adſperſis paſſim vitiis proſodicis. Ita vero praeter alia de Mela: *Auro Pomponius pulchrior Indico, Hortis Pomponius Mela beatior, Seu vis Heſperidum, ſeu mare quos vagum Latis Ionium fluctibus abluit.* In editione etiam Vadiani Tranquilli Parthenii, Ragufini, breve carmen legitur, quem eundem eſſe puto. Reddit autem haec editio, quam nusquam commemoratam inveni, Melam Camertis, et, ni fallor, brevi poſt emiſſa eſt, licet, quo anno id vere ſit factum, conſtitui nequeat. Servat eam bibliotheca Univerſitatis Lipſienſis et ſcholae Zviccavienſis, ex qua benevole transmiſſam conſului.

11) Qui et ſimpliciter in Sylla dialogo Tranquillus dicitur, notante Adelungio in Zuſätzen — zu Iöchers gel. Lexicon Vol. 1. p. 859.

22. Florentiae 1517. 8.

Mela hic adiunctos habet alios Geographos veteres, in quibus ipſe primum locum occupat, Iulium Solinum, Antonini itinerarium, Vibium Sequeſtrem, P. Victorem de regionibus urbis Romae, Dionyſium Afrum de ſitu orbis, Priſciano interprete. Prodiit apud Phil. Iuntae heredes, et adparata eſt ab Antonino Francino, qui in textu caſtigando libro antiquiſſimo literis Langobardicis ſcripto uſus erat. Equidem ea potiri nullo modo potui, neque tamen, quin vere exſtet, cum crebro commemoretur, dubitare licet. Vid. ad an. 1519.

III. *Aetas Vadiani, immiſtis ſuperiorum editionum repetitionibus.*

23. Viennae 1518. fol.

P. Mela de ſitu orbis libri III. *cum Io. Vadiani commentariis.* Praeponitur privilegium Maximiliani I. Imperatoris an. 1517. Sequitur index, quem excipit dedicatio ad Franciſcum coenobii St. Galli abbatem, tum Vadiani catecheſis in Geographiam et de aetate et patria Melae brevis diſſertatio. Poſt textum praeter alia quaedam legitur epiſtola ad Agricolam de locis quibusdam auctorum et rebus geographicis. Hinc alia ſequitur Vadiani ad Grebelium Viennae 1518. In fine libri haec: *Impreſſus eſt Pomponius Viennae Pannoniae expenſis Lucae Atlanſe civis et bibliopolae Viennenſis per Io. Singrenium* —

1518. Diligenter hanc editionem deſcripſit Denis in Wiens Buchdrucker-Geſchichte pag. 186 ſq. ubi ſimul Schotti errorem in praefatione de Pintiani aetate durumque Voſſii iudicium de ea caſtigat. Nempe acerbum experta eſt iudicium Voſſii, et antea Camertis bilem moverat, de quo cf. infra ad an. 1522. ubi etiam plura de Vadiani commentario dabo. In textu procudendo Hermolai Barbari, quem unice laudat, emendationes fere amplectitur; multas tamen paſſim novas easque bonas lectiones protulit, paſſim etiam ſine codicibus quaedam temere intulit, ut 1, 8, 4. *degunt*, etſi codicem a Collimitio acceptum alicubi memorat. Cum Vadiana opera libris prohibitis omnino [12]) adnumerarentur, hi tamen commentarii [13]) poſtea ſic exemti ſunt, ſi purgarentur. Ceterum Melae adnexi praecedunt Solinus, Florus et Cebetis tabula.

24. Venetiis 1518. 8.

Prima pagina enumerat Geographos, quos continet, eodem, quo ed. 22. ordine, Mela praemiſſo. Tum ſequitur brevis Franc. Aſulani ad lectorem praefatio, in qua mendas multas, quibus obſiti fuiſſent illi Geographi, ſublatas eſſe adfirmat. In fine: *Venetiis in aedibus Aldi et Andreae ſoceri menſe Octobri* MDXVIII. Textum exhibet nudum in pauca capita diviſum, et nitide, quales ſunt libri

12) Vid. Rom. 1664. 4. p. 157. Madriti 1583. 4. p. 61.
13) Madriti 1667.

Aldini, expreſſum. Repetit autem fere Florentinam an. 1517. a qua non niſi raro diſſentit, veluti 3, 9, 8. — Falſo eam olim Morhofius in Polyhiſtore 4, 12, 11. p. 886. antiquiſſimam crediderat. Quod in bibliotheca Kulenkampi pag. 354. notatur Aldina editio an. 1519. ſine dubio ex vitiato numero ortum eſt. De eius raritate monuit Crevenna in Catalogue raiſonné de la collection des livres Vol. 5. p. 21. In lectionibus rarioribus et quas ignorant alii, ſequitur fere codicem Venetum, ut, niſi fluxiſſe ex eo, certe adiuta eſſe videatur. Cf. 1, 6, 2. 1, 7. in. 1, 19, 14. 2, 2, 7. 2, 5, 8. 3, 7, 6. — Uſus ſum etiam exemplari, quod olim poſſederat Daumius, nunc tenet bibliotheca Zviecavienſis, paucis notulis in textum, et levioribus.

25. Cracoviae 1519. 4.

P. Melae Geographia Cracoviae in officina geographica Victoris 1519. Commemorat eam Bauerus in bibliothecae librorum rariorum ſupplementis Vol. 3. pag. 164. eiusque notitiam videtur petiiſſe ex Pray indice rariorum librorum bibliothecae univerſitatis regiae Budenſis, Budae 1780. 1781. P. 2. p. 102. Victoris nomen facit, ut videatur eſſe repetitio editionis Camertinae an. 1512. quod et exiſtimabat Heyne, quem de ea conſulueram. Equidem ipſam non vidi.

26. Florentiae 1519. 8.

Repetit ſuperiorem an. 1517. *apud Philippi Iuntae haeredes menſe Aprili.* Complectitur etiam eos-

dem Geographos, quos antea notavi. Commemorant eam Crevenna Vol. 4. pag. 7. c. l. Maittairius T. 2. p. 335. c. l. Eius exemplar, conciliante Herrichio, Saxonicae legationi a ſecretis, miſit Ratisbonenſis bibliotheca. Ex eius comparatione vidi, codicem plerumque ſequi Venetum, quod de Aldina antea monui.

27. Viennae 1520. 4.

Exhibet plane titulum, praefationem et epiſtolam Camertinae editionis an. 1512. cuius etiam in margine numerat paginas, ut index ex ea repetitus, qualis legitur, numeris et paginis ad eam accommodari et prodeſſe poſſit. Ipſe tamen textus eſt Vadiani ex editione 1518. deſcriptus, praeter leviora quaedam, quod ipſo uſu expertus teſtor. In fine haec: *Viennae — per Ioannem Singrenium. Expenſis Lucae Alantſe civis* Vien. Finito textui haec, quae annum indicant, ſubiecta ſunt: *Pomponii Melae libri* III *finis* an. XX. Cf. Denis Wiens Buchdrucker-Geſchichte p. 213.

28. S. l. 1521. 16.

Titulus idem, quem in ed. an. 1517. notavi. In fine: *Alexander Paganinus menſis Auguſti* 1521. ex quo non ſolum, ſed et ex forma literarum, quae tamen ſunt paullo obtuſiores, Venetiis impreſſa videtur. Vid. Hager Geographiſcher Bücher-Saal Vol. 1. P. 3. p. 196. Tuſculanum tamen natalem eius locum putat Morellius in literis ad me miſſis,

quod a Paganino an. 1519. Aldi Manutii inſtitutiones Grammaticae Latinae ibi editae ſint et 1522. Ambroſii Calepini Dictionarium, quos libros ipſe viderit. Eſt vero Tuſculanum agri Brixiani oppidum iuxta Benacum, officinis chartariis quodammodo inluſtre.

29. Lipſiae 1521. 4.

P. Melae ſcriptoris eruditiſſimi tres Geographiae libri multo caſtigatius, quam antehac excuſi. Hermolai Barbari in eundem integrae caſtigationes. Index — copioſiſſimus Io. Camerte auctore, cuius etiam dedicatio averſa pagina legitur. Indici ſubnexus eſt textus eleganter expreſſus. Capita numerorum notatione carent. Vitia habet admiſta graviora, v. c. *Aeuropa*. Tandem ſequuntur Hermolai Barbari caſtigationes praemiſſa eiusdem dedicatione. In fine haec leguntur: *Lipſiae apud Melchiorem Lottherum* 1521. pro quo in aliis libris ab ipſo impreſſis reperitur *per Melchior Lotter*. Reddit autem editionem Camertinam, a qua raro tantum discrepat, ut 1, 17. extr. (*Phocaea*) 1, 18, 1. (*Archeſilaum*) et alibi.

30. Venet. 1521. 16.

Producit hanc Erneſti in Fabricio p. 77. a ſuperiori, (n. 28.) cuius etiam facit mentionem, diverſam, et adpellat Venetam auctore Aldo, adiunctis Solino, itinerario Antonini et reliquis. Addit eam cum Florentina in lectionibus notabilioribus et novis conſentire, velut iis, quas Gronovius ſtatim

lib. 1. cap. 1. indicaverit et in textum receperit. Mihi quidem eam exquirere et uſurpare non contigit.

31. S. l. et a.

In media figura expreſſus legitur hic titulus: *P. M. de ſitu orbis libri tres cum indice.* Averſa pagina quaeſtio agitatur, *quo tempore Melam floruiſſe veroſimile ſit, et quae eius patria*, unde ſtatim agnoſcas Vadianum, quippe quem totum refert. Cur in hoc loco ponerem, quae me moverunt cauſae, hae ſunt. Quae in illa disputatione ſuper hoc argumento leguntur, conſentiunt plane cum iis, quae Vadianus in ed. 1. adtulit, nec mutationes ab ipſo Vadiano in ed. 1522. factas accepit. Porro ante indicem priſca illa et contorta literarum numerorumque forma expreſſa legitur Camertis epiſtola an. 1512. Hinc enim coniici poſſe putavi, ante annum 1522. poſt Camertis editionem vulgatam eſſe. Differt tamen multis in locis a Camerte aeque ac Vadiano, quod lectiones inde depromtae declarant. In aliis modo Camertem, modo Vadianum ſequitur. Dukerus in epiſtola ad Dorvillium Perizonii notis in ed. Gronov. 1748. praemiſſa p. 881. adeo Camertis et Viennenſem vocari putat. Certe alterutra earum intelligi debet in nota Dukeri Perizonianis ſubiecta p. 902. ubi utramque ſ. l. et anno a Perizonio conſultam Camerti tribuit, quod vere dictum docent notae Perizonii ad 1, 1. in. et alibi. Idem tamen Perizonius obſcure, aut vage Camertis editio-

nem producit, et ex illa lectiones adfert, quae in hac ſola reperiuntur. Sic 1, 3, 1. Camerti dat *Boſporum*, quod habet haec editio, cum in Camertina an. 1512. exſtet *Ponticum*. Et ſic alia plura ex notis cognoſci poſſunt. Equidem duas ſ. l. et a. editiones, quae ad Camertem recte referantur, ignoro. Inſigne bibliopolae in fine expreſſum, ex quo coniectura de loco certa fieri poſſit, apud Rothſcholtzium de inſignibus bibliopolarum fruſtra quaeſivi. Exemplum huius editionis non admodum obviae indicatur, ni fallor, in indice ſecundo librorum ex bibl. Berolinenſi Regia venalium an. 1797. p. 29. Excerptas inde lectiones adpoſui.

32. Baſileae 1522. fol.

P. M. cum commentariis Ioach. Vadiani, ut ſupra an. 1518. Praefationem, quae primum locum tenet, addidit Grebelius, in qua plenis manibus in Vadianum laudes effundit. Hinc index ſequitur, quem excipit Vadiani catecheſis in Geographiam praemiſſa praefatione, tum quaeſtio de Melae aetate et patria. Poſt textum hic primum ſubiicitur Vadiani locorum aliquot ex ſuis in Melam commentariis explanatio; (contra Camertis dubitationes.) Inde repetitur epiſtola ad Rud. Agricolam. Sine dubio eadem haec eſt editio, quam cum aliquot codicibus ab Il. Voſſio comparatam et a ſe adhibitam Cratandri vocat Perizonius, quia apud Cratandrum an. 1522. prodiit. Poſt id comprobatum vidi in catalogo bibl. publicae Univerſit. Lugduno-Batavae

an. 1716. p. 200. Commentarius ampla et frugifera eruditione refertus eſt, et ad intelligentiam Melae et geographicam doctrinam multa utiliter confert, at idem luxurioſe ſaepe evagatur, et maxime aliena a re immiſcet, pias meditationes, purionis doctrinae commendationes, doctorum virorum elogia, commentationes prolixiores de ſomniis et ſimilibus aliaque plura, ut garrire lubenter bonus Vadianus videatur. Sic ad lib. 3. cap. 3. de Germania, halace (ita) ſalito crudo cum aceto et cepe (ita) nihil vel ſuo ſtomacho eſſe gratius adfirmat, qui ipſum elegantiſſimis conviviis exceperint, ad 3, 6. narrat. Inſunt tamen plurima bona et inique duriterque iudicavit Voſſius in praefatione ad Melam, eius adnotationes rus et ſtivam olere, quo nomine Voſſium notarunt Morhofius in Polyhiſt. P. 1. lib. 1, 22, 16. qui ruſticum id iudicium vocat, et Denis in Wiens Buchdrucker-Geſchichte p. 187. Quod titulus praedicat, caſtigationes in multis locis factas eſſe auctiores, recte habet uſusque docet. In quo adiutum ſe fuiſſe ſcribit in adloquio ad lectorem pag. 221. non privata ſolum diligentia, ſed et in primis exemplaris ſcripti fide, cuius ſibi ex Andreae Stiborii, Mathematici, libraria ſupellectile copiam fecerit Georgius Collimitius, [14]) Stiborii olim diſcipulus. Quod enim ad 3, 9, 8. codices commemorat, quos viderit, an fuerint ſcripti, incertum eſt. Quibus tamen in locis

14) Sic reponendum eſt in Fabricio Erneſtii p. 78.

eius remedia adhibuerit, ex more ſaeculi ſui non indicat, etiam ubi aperte priorem lectionem emendat novamque tuetur, etſi id ſit rarius, nec omnino de codicis eius indole aliquid adfert. Nec magis quo ille poſtea fuerit delatus, et quem nactus ſit dominum, dici poteſt. De una certe lectione, quam primus invexit, mihi eſt perſuaſiſſimum, codicis auctoritatem praeiiſſe. Invenitur illa 3, 9, 1. ubi ſtatim in ed. 1. repoſuerat *alumni;* quod cum ex tanto codicum numero ſolus Varſovienſis, nunc Petropolitanus, praeferat, videtur hic idem eſſe Collimitii, quem comes Zaluskius coemtum ſuae bibliothecae inſeruerat. Si textus huius editionis ſpectetur, et quae nova illi bona acceſſerint, utique emendatior non ſolum eſt, ſed et plures adfert emendationes. In notis tamen retractandis parum ſaepe curioſus fuiſſe videtur, quia ex edit. a. 1518. repetit, quorum mutationem res ipſa tempusque adeo ſuadebant, ut 3, 8, 5. *ſe ante tres menſes in alia ſententia fuiſſe.* Lectiones adpoſui in notis.

33. Florentiae 1526. 8.

Titulus eodem ordine veteres illos Geographos fiſtit, quos in cognata editione ſupra indicavi. Uni Dionyſio adduntur haec: *iterum caſtigatus et cum Graeco exemplari collatus.* Sequitur deinceps Antonii Francini Varchienſis dedicatio, ſeu epiſtola ad Petrum Victorium — Patritium Florentinum, in qua emendatum a ſe Melam ait ex codice antiquiſſimo, literis Langobardicis ſcripto, ſimulque Melam

emendatiorem promittit, ſi melior datus fuerit codex. Uſus ſum exemplari egregie dotato, quod ex libris Sirleti, Cardinalis, in bibliothecam Senatus Lipſienſis translatum erat, mecumque liberaliſſime communicatum. In eo enim adſcripſerat vel Sirletus ipſe, homo doctiſſimus, vel alius [15]) aliquis luculenta praeterea manu conlationes codicum Vaticanorum quinque, quorum tres priores fuerant membranacei, tunc quidem annorum circiter 800, uti notatum erat, quartus papyraceus 250. circiter annorum, de quinto nihil adſcriptum inveni. Singuli ita ſignis adpictis diſtincti erant, ut facile dignoſci poſſent, praeterquam ubi geminata praeter morem ſolitum difficultatem obiecerunt. Largiſſimam meſſem tulerunt codex 1. optimae notae, et 3. peſſimae, iudice etiam Perizonio ad 1, 2, 5. Pragenſis aut parens, aut ſuboles. Ceterum in fine huius editionis leguntur verba *Impreſſum Florentiae per haeredes Philippi Iuntae anno* MDXXVI. Inde vero discrepantia opinionum expendi et definiri poteſt, quae paſſim reperitur. Erneſti enim et Kappius in ed. Melae altera notant annum 1527. Fabricius in Solini editionibus recenſitis p. 628. et Hagerus c. l. referunt ad annum 1526. Priorem igitur annum ſi qui indicent, recte reprehendit Crevenna in Catalogue raiſonné — Vol. 5. p. 22. etſi iniuriam facit Maittairio, qui in indice recte notat annum

15) Perizonius ad 1, 9, 7. et alibi Goetzium nominat, de bibliotheca illa meritiſſimum, dubia tamen fide.

1526. Differt paſſim ab aliis Iuntinis, uti 3, 9, 1. ubi haec dedit *aequi corporis* et *alumni*, cum aliae habeant *et qui corporis* et *alii*, utrum ex codice poſterius, an Vadiani auctoritate, ignoro. Ceterum proſpera ſorte factum eſt, quod exemplar illud, in quo aliorum etiam Geographorum variantes lectiones adſcriptae ſunt, Hiſpaniam non intravit, quippe Sirleti bibliothecam Philippus II. Hiſpaniae rex Romae emtam in bibliothecam Eſcurialenſem avexit. Vid. Plüer von Spanien in Büſchings Magazin — T. 4. n. 2. p. 388.

34. Pariſ. 1530. fol.

Vadianae editionis an. 1522. repetitio, quod ex eius comparatione in Dresdenſi bibliotheca facta cognovi. Tantum paginae discrepant. Nam in ed. 1522. textus Melae a pag. 1. profertur ad 220. hic ad pag. 196. ſubſiſtit finitus. Quare nihil praeterea addo.

35. Baſil. 1531. 12.

Hanc editionem ex aliorum tantum indiciis, nudioribus quidem, novi, qui et Solinum additum eſſe ſcribunt. Vid. Fabricii bibl. Lat. Vol. 2. p. 628. ed. 1. et Hager in Geogr. Bücher-Saal Vol. 1. P. 3. p. 197. et Vol. 2. P. 7. p. 519.

36. Pariſiis 1532. 8.

P. M. de ſitu orbis libri tres cum indice copioſiſſimo; excudebat Chriſtianus Wechelus. In media fronte ad-

paret arboris figura, quam ambit tortilis chartae ſcida his verbis inſcripta: *unicum arbuſtum non alit duos erythacos.* Editoris nullum exſtat veſtigium. Textus, cuius varietatem notavi, plerumque eſt Vadiani; nam paſſim ab illo recedit. Capita numerantur ex ordine ſuperiorum quarundam editionum, quo liber primus habet 21. ſecundus 7. tertius 11.

Friberg. 1533. 4.

Mentionem huius editionis facit Wiliſchius in bibliothecae Altenburg. indice (an. 1721.) p. 196. unde etiam alii commemorant, ut Hagerus, Kappius. Eam cum diu quaeſiiſſem, et, ut Altenburgo ad me mitteretur, rogaſſem, tandem graviſſimo teſtimonio edoctus intellexi, nusqam ibi comparere, et Wiliſchium bibliothecae illius catalogo adſcripſiſſe, ſe multos libros abſentes tamquam praeſentes produxiſſe ad complendas eorum claſſes, ſi qua forte ſpes iis potiundi adfulſiſſet. Lepide ſane.

IV. *Aetas Olivarii.*

37. S. l. et an. 8.

P. M. cum Petri [16]) *Olivarii, viri in Geographia doctiſſimi ſcholiis;* ſine mentione loci et anni, quae ex dedicatione ad Gulielmum Mainum, filiorum

16) Vulgo *Oliver.* Vid. bibl. Valentin. p. 385. ubi eius vita legitur.

Chriſtianiſſimi regis Francorum praeceptorem ſcripta diſcuntur. Subiecta ſunt pauca in vitam Melae. Deinceps ſequitur index, qui et paſſim notas adtingit, indicem textus ipſe, cuius ſingulis capitibus, qui ſuperiori ordine, adpoſitis praeterea numeris, procedunt, ſubiuncta ſunt ſcholia Olivarii, auditoribus antea dictata. In fine leguntur definitiones aliquot geographicae, vulgares quidem, quas tamen repetierunt Gronovii, et adlocutio ad geographiae ſtudioſos. Inde repetitae leguntur Harmolai Barbari caſtigationes, quas excipit Solinus. Se autem curaſſe ait Olivarius in illa adlocutione, ut Mela nusquam non mendoſus prodiret caſtigatior, deinde, ut veteribus nominibus nova redderet; quae quidem iudicari debent ex aetate reique difficultate; loci etiam, a Vadiano neglecti, vel praeteriti, ſe magnis ſudoribus effeciſſe, ut eſſent clariores. In textu conſtituendo ſaepius certe a Vadiano discrepat, at Pariſinam an. 1532. tantum non ſemper ſequitur. Si commentarios, quos adiecit, ſpectes, breves ſunt, et qui parcius, aut levius orationis veram rationem et indolem adtingant, maximeque in geographicis comparandis verſentur, in quibus quidem ſummam ei fidem tribuendam eſſe adfirmat Gonzalez de Salas ad Melae interpretationem Hiſpanicam 1, 5. pag. 18. ſi de locis Africae exponat, quippe quae ipſe adierit; licet alibi (p. 263.) parum eum frugiferum [17]) interpretem adpellet. At longe triſtiorem ſententiam de eo tulit Voſſius in praefa-

17) *Hombre docto, aunque poco util interprete.*

tione; *imi* nempe *ſubſellii magiſtrum* eius commentarium prodere. Alii, quamquam ſine laude dimittunt, clementius tamen iudicant. Multi etiam textum eius repetierunt, quidam in iis adiecto commentario, quod me movit, ut aetatem Olivarii conſtituerem. Quod vero Erneſti in Fabricii bibl. T. 2. pag. 79. praeeunte quidem Schotto in praefatione, dicit, eius emendationes, in priori editione (quam intelligat, ignoro) factas, Pintiani fere eſſe, cum annorum ratio ferre minime videatur, et Pintiani emendationes ſerius emiſſas eſſe omnes referant, id ita intelligendum eſt, Olivarium antea clam Pintiano ſubreptas opes, aut in ſcholis exceptas pro ſuis poſtea temere venditaſſe. Ipſe quidem Pintianus ad Melam 1, 19, 15. queritur, quod correctiones ipſius, ab auditoribus vulgatae et ſubinde in multorum aures transmiſſae, dominum mutaverint. Quibus verbis ſubpreſſo nomine Olivarium perſtringi, monet ibi Schottus. Recte quidem, quod res ipſa docet. Nempe eandem illius loci emendationem ſuae ſagacitati tribuerat Olivarius aliamque ex lib. 2, 2, 4. quam exempli loco adpoſuit Pintianus. Adfirmat autem hic ad priorem locum ſupra notatum, ſe iſtas, cum quarto decimo anno ante, quam Pomponium Salmanticae enarraſſet, propoſuiſſe, teſtemque univerſam Salmanticenſem academiam excitat. Tum vero Pintianus caſtigationes ſuas non anno demum 1543. qui [18]) fertur, edidit, quia ſic annus exeat 1539. cum

18) Vid. infra de Pintiano.

tamen tribus ante Olivarius emendationes propoſuiſſet, aut prius editae ſunt Pintiani caſtigationes, etſi de eo certi aliquid exquirere non potui. Repetierunt Olivarii notas etiam Gronovii, etſi non ſemper, quod animadverti, integras, veluti 1, 7. f. Quod Erneſti in Fabricii bibl. Latina pag. 79. c. h. ſcribit, bis ab Olivario Melam editum fuiſſe, ita ut in prima editione emendationes fere reperiantur Pintiani, in altera velut doctorem geometriae et geographiae ageret, debebat utriusque annum, ſi certa dare vellet, indicare. Equidem ex iis editionibus, quae Pariſiis vulgatae ſunt, praeter hanc in initio deſcriptam, Olivarianam aliam non novi. Wecheliana enim an. 1532. quam forte innuit, etſi Olivarianam plerumque aequat, ſine ulla tamen nota et textus explicatione eſt emiſſa. At aliud obſervavi huius noſtrae editionis diſcrimen, cum duo eius exemplaria ad me adportata inſpexiſſem. Etſi enim in utroque titulus, dedicatio, textusque cum notis ſubiectis eandem editionem omnino indicant, ſunt tamen paſſim aliqua, quae inter ſe diſcrepent. Ita ſtatim titulus in verbis quidem plane congruit, ſed diverſam eorum in aliquot verſibus diſtinctionem exhibet, quod idem fit in medio textus curſu, ut p. 104 ſq. 171. 191. — Differunt item in paginarum numero et ordine, quae varie non in Mela ſolum, ſed et in Solino adiuncto turbantur, ut p. 152 ſqq. 177. 301. — Porro et ipſe textus, etſi leviter, variat. Sic 2, 4. in. unum exemplar fert *Aposnino*, alterum *Aponio*; 2, 7, 12. *Ariadnae* et

Adriadnae; 2, 7, 9. *Chalcis* et *Chalcis*. Tum unum 1, 2, 3. omittit verba *Indi oramque*, quae habet alterum. Nec ſemper literarum formae eundem ſervant tenorem. Ex quibus coniicere licet, eandem editionem vel typis eſſe repetitam, vel in curſu operae mutatam. Diverſas tamen ipſa re et notis nemo dixerit.

38. Baſileae 1538. fol.

Praemittitur Solinus. Acceſſerunt praeter alia Floridi Sabini apologia pro Plauto. Sic producitur in Antonii bibl. Hiſp. vetere T. 1. lib. 1. cap. 11. p. 52. f. T. 1. p. 68. ed. Bayerii, Fabricii bibl. Lat. Vol. 2. p. 477. ed. Erneſtii p. 79. Hageri Geograph. Bücher-Saal Vol. 2. P. 7. p. 522. Ipſe eam non vidi.

39. Baſileae 1538. fol.

Cum Solino. Commemoratur haec editio in bibl. Auguſtanae catalogo a. 1600. fol. p. 483. itemque in Ehingeri catalogo bibl. Auguſtanae ſic: cum ſcholiis et tabulis regionum. Diligentius deſcripſit Hagerus c. l. et Vol. 1. P. 3. p. 198 ſqq. qui rariſſimam vocat. Adiecta habet ſcholia, in quibus tamen hiſtoriae magis, quam criticae habetur ratio, qua de cauſa etiam a Schotto notatur. Inſertae etiam ſunt tabulae geographicae, quibus hic primum Mela inluſtratus eſt. Hagerus recte, quod poſt ex eius repetitione an. 1543. facta intellexi, Münſtero adſeruit, cum antea viri docti ſubiectas textui notas Camerti tribuerent, Freytagius etiam in apparatu

literario T. 3. p. 560. de earum auctore dubitaret. Diſerte enim Münſterus ad Solin. cap. 23. nomen ſuum profitetur. Male igitur, cum ſcholiorum nomine ſuas adnotationes ab Olivarianis diſtinguat, Scholiaſten Melae, quaſi veterem aliquem Grammaticum, commemorat Guesnay in Maſſilia lib. 1. cap. 3. p. 5. et 8. Quae enim ex eo adfert, verba ſunt Münſteri hinc depromta. Praefert quidem palmam Bebelianam, Baſileae tamen apud Michaelem Iſengrinum et Henricum Petri MDXXXVIII. excuſam eſſe, verba in calce conſpicua produnt. Ipſe nec hanc perluſtrare potui.

40. Salingiaci 1538. 8.

P. M. Salingiaci. Io. Soter excudebat. Sic notatam inveneram in catalogo bibl. Thottianae T. 4. p. 316. n. 626. at ſerius, quam ut redimere oblato pretio poſſem. Tandem obportune in bibliothecam Dresdenſem inlata eſt, quae lubens eius copiam fecit. In praefatione breviter de aetate Melae diſſerit editor, quem aequalem Ptolemaei facit, quia fuerit ante Plinium et Solinum, etſi quidam ſub Iul. Caeſare, aut Claudio vixiſſe velint. Quis princeps lib. 3, 6, 4. intelligi debeat, obſcurum arbitratur. Tum de patria Mellaria addit, et denique ſtrictim libri argumentum perſequitur. In pleriſque, quod vidi, cum Vadiano conſentit, ſed pro illorum temporum ratione emendatiorem et a vulgaribus vitiis mundiorem textum exhibet. Lectiones notatas adpoſui. Ceterum ipſe textus nudus

prodiit, nec in fine quidquam additur. De Salingiaco ipso magna ante aliquot annos disputatio mota est, et sic tandem evictum, esse, quod in nostra lingua vocatur *Sohlingen*, et *Soter* esse nostrum *Heyl*. Vid. Allgem. Literar. Anzeiger, Lipſ. 1800. in mense Iulio et Augusto.

41. Lugduni 1538. 8.

Habet Olivarii adnotationes, cuius et textum cum aliis repetit. Absunt tamen castigationes Hermolai Barbari, et index, qui in Olivarii editione praecedit, hic ad calcem proiectus est. Vitia adsperſa fert multa, quae ignorat ed. Olivarii, ut 1, 4. *attulit*, (attollit) *inſtius* (vastius); 3, 9, 4. *multi*, (muti) et plura. Missa ad me venit ex bibliotheca Ducali Gothana.

42. Parisiis 1538. 8.

Notat hanc editionem Kappius in catalogo, quem praefixit ed. an. 1781. Dubitaveram initio de illa, eandemque esse putaveram, quae hic deinceps sequitur, ab illo omissa, aut quam Funccius pag. 537. c. l. hoc anno cum Petri Olivarii et Hermolai Barbari notis commemorat. Exemit tamen postea illam dubitationem catalogus bibl. publ. Universitatis Lugduno-Batavae p. 200. ubi producitur addita notatione, a Vossio cum cod. Vatic. uti quidem auctori videbatur, conlatam fuisse.

43. Parisiis 1539. 8. min.

P. Mela de situ orbis libri III. *summa fide atque diligentia recogniti una cum adnotationibus P. I. Olivarii, Valentini, — cum indice copiosissimo.* Praemissa sunt ea, quae supra ad ann. 1536. notavi. At novo dono dotata exiit. In textus enim margine adlitae sunt passim lectiones variantes, quas ex codice antiquo depromtas esse margo diserte monet. Servatur in bibliotheca Dresdensi, quae eius usum benevole concessit, et in bibliotheca Ducali Gothana, ex qua b. Geislerus cum pluribus aliis subsidiis, ad Melam adornandum comparatis, ad me misit.

44. Parisiis 1540. f.

Apud Christi. Wechelium sub scuto Basiliensi. In bibl. Patavina p. 84. sic indicatur: *cum comment. et epistola Fabiani* (leg. Vadiani) *in Agricolam.* Servatur in bibliothecis Dresdensi, Rehdigeriana, Hamburgensi. Est repetitio Vadianae. Paginae congruunt cum Paris. 1530. f. ita tamen, ut passim singula plura, vel pauciora verba contineant.

45. Paris. 1540. f.

Apud Io. Roigny, cuius et insignia alium eius auctorem, ac praecedentis fuisse declarant, etsi omnia, paginae etiam, congruunt. Reperitur illa in catalogo bibl. Thottianae T. 4. pag. 42. n. 724. Utramque in bibliotheca Dresdensi perlustrare contigit.

46. Basileae 1543. f.

Titulus summatim hic est: *Solini Polyhistor — huic ob argumenti similitudinem Pomp. Melae — libros* III. *fide diligentiaque summa denuo iam recognitos adiunximus. His accesserunt praeter priora scholia et tabulas Geographicas permultas Petri quoque Olivarii — annotationes — cum gemino indice —* Infra: *Basileae apud Mich. Isingrinium MDXLIII.* Commemoratur illa ab Hagero c. l. Vol. 1. p. 202. contractioribus verbis in catalogo bibl. Loescherianae P. 2. p. 572. n. 8941. Videtur ea esse repetitio editionis an. 1538. Illam videre non contigit, hanc sat magno pretio paratam versavi.

Basileae 1549. f.

Cum commentario Vadiani apud Mich. Isengrinium. Hanc editionem adnotaveram ex catalogo bibliothecae Thottianae T. 4. p. 42. n. 725. Post tamen opportune edoctus humanissimi Nyerupii literis intellexi, vitium irrepsisse, de quo verius ille monere poterat, quod in Regiam bibliothecam editio illa invecta erat. Titulus enim verus ita habet, uti supra in ed. an. 1538. notavi, quo etiam anno prodierat ipsa.

47. Tubingae 1550. 8.

P. Mela de situ orbis libri tres. Praemittitur Vadiani disputatio, quo tempore Melam floruisse verisimile sit, et quae eius patria. Textum etiam Va-

diani plerumque excepit, qualem eum reddidit editio Camertis, quae ſic vulgo dicitur, ſ. l. et anno. Inſerta etiam eſt Camertis epiſtola ex ſuperioribus nota, cui additur index. Haec editio, quam nusquam indicatam inveni, exſtat in bibliotheca Dresdenſi, quae ſolita liberalitate inſpiciendam et perluſtrandam ſubpeditavit. Reddit fere lectiones editionis Camertinae ſ. l. et anno, adſperſis etiam paſſim vitiis.

48. Lutetiae 1551. 4.

P. M. de ſitu orbis libri tres accuratiſſime emendati apud Vaſcoſanum. Ita ſimpliciter memorat Maittaire in Annal. typogr. T. 3. p. 601. Nec quidquam ego ultra addere poſſum.

49. Lugduni 1551. 8.

Cum notis Olivarii et Hermolai Barbari caſtigationibus. Producitur haec editio, quam videre non contigit, in Rodriguez bibl. Valentina p. 385. ſpecimine bibl. Hiſpano-Majanſianae pag. 76. et in catalogo bibl. Thottianae T. 4. p. 316. n. 627.

50. Lugduni 1552. 12.

Mela hic adnexus eſt aliis auctoribus varii argumenti, qui prodierunt Lugduni apud Sebaſt. Gryphium ſub titulo: *Antiquitatum variarum auctores*, in quibus Mela locum duodecimum occupat. Refert autem textum Olivarii cum eiusdem notis ſolis.

Editor latere voluit. Equidem eam verſavi. Hagerus c. l. Vol. 2. P. 10. p. 783. deſcripſit. Cf. etiam ad ann. 1560. de eius repetitione.

51. Baſil. 1555. fol.

Adiectis commentariis Vadiani.

52. Pariſ. 1556. 4.

Cum notis Olivarii, expreſſa typis Iac. Kerneri et dedicata Cardinali Carolo Lotharingiae. Servatur in bibl. gymnaſii Hamburgenſis, quod teſtati ſunt literis Lichtenbergius et Noeltingius, viri humaniſſimi. Forte numeri vitio eadem eſt, quam cum adnotationibus manuſcriptis bibliothecae Burmannianae catalogus in MSS. T. 2. p. 3. refert ad annum 1554.

53. Baſileae 1557. fol.

Cum commentariis Vadiani. Praemiſſus et hic eſt Solinus cum Cebetis tabula, additis notis. Paginae, quod vidi, cum ed. Vadiani 1522. f. ut alia in aliis congruunt. Rarioribus libris adnumerat Bayer in bibl. libror. rarior. P. 3. pag. 58. Servat bibliotheca Rehdigeriana, Wratislaviae, et bibl. Auguſtana. Vid. catal. p. 356.

54. Pariſiis 1557. 4.

Textus eſt Olivarii cum eius notis, et quae praeterea ille addidit. Tantum epiſtola dedicatoria inſcripta eſt ad Carolum Lotharingiae cardinalem

d. 8 Octobr. 1556. Ita notaverat vir doctus in editionibus, quas viderat ipſe, ad calcem ed. Gronoviānae 1685. 8. qua ſum uſus. Notatam etiam inveni in Maittairii annal. typograph. T. 3. P. 2. p. 696. et catalogo Pinellii Vol. 1. p. 364. n. 2188. Attamen Rodriguez in bibl. Valentiana p. 385. in edd. Olivarianis ſic producit: Baſil. apud Robert. Winter 1557. 4. Cum eius uſu caruerim, quid verum ſit, adfirmare nequeo.

55. Pariſ. 1560. 4.

P. Mela de ſitu orbis libri III. *ſumma fide et diligentia recogniti cum indice rerum memorabilium copioſiſſimo. Pariſiis ex typographia Thomae Richardi ſub bibliis aureis è regione collegii Remenſis* 1560. De vita Melae eadem leguntur, quae dat ed. Olivarii an. 1536. Conſentit plane cum edit. Pariſina a. 1561. in iis etiam, quae margini ſunt adlita. Tantum *Cyris* haec habet, ubi in altera (a. 1561.) legitur *Cyria*. Ex ea Vinetus ſuam aut confecit, aut profecit, quia eiusmodi lectiones hic in margine adferuntur, quas ille poſtea in ipſum contextum recepit, in primis 2, 7. f. *quod virus procuret*.

56. Lugduni 1560. 12.

Apud haeredes Seb. Gryphii hoc titulo: *Antiquitatum variarum auctores, quorum catalogum ſequens continet plagella*. Primus eſt Myrſilus Leſbius de origine Italiae et Tyrrhenorum; ultimus Feneſtella de magiſtratibus Romanorum. Pomponius Mela eſt

Olivarii cum eiusdem adnotationibus p. 455 — 598. quae ſubiectae ſunt ſingulis capitibus. Fabricius cum Erneſtio hanc editionem ignoravit. Poſſidet eius exemplar bibl. Rehdigeriana Wratislaviae.

57. Pariſiis 1561. 4.

P. Mela de ſitu orbis libri tres ex typographia Thomae Richardi — ut ſupra an. 1560. 4. notatum eſt. Ex bibliotheca Guelpherbytana promtiſſima liberalitate miſſam contuli. Sequitur quidem textum Olivarii, ita tamen ut multas lectiones admittat, quae tantum ad marginem ed. Pariſ. 1539. 8. typis adſcriptae erant.

58. Baſileae 1563. 8.

Cum tabulis geographicis. Ita quidem Hagerus producit p. 525. c. l. in editionum recenſu et ante eum lepidus ille Wiliſchius p. 196. c. l. ex quibus eius notitiam duxiſſe videtur Kappius in ed. s. Equidem ex ipſo uſu iudicare non poſſum.

59. Baſileae 1564. 8.

Cum Solino. Ita Hagerus c. l. Erneſti apud Fabricium p. 79. adiunctam eſſe dicit Chriſti. Urſtiſii praefationem et tabulas geographicas rudius deſcriptas. Ego manibus verſavi tria exemplaria huius editionibus eodem anno Baſileae apud Henric. Petri factae, in cuius praefatione Mela philoſophus celeberrimus audit. Urſtiſii nomen deſideravi, immo etiam alia omnia fere atque Urſtiſii praefationem

inveni, de qua cf. ad an. 1576. Sequuntur eam quaeſtiones Vadiani de aetate Melae et rerum ordine. Ipſe etiam textus plerumque (nam paſſim recedit) eſt Vadiani, eademque capitum ſine numeris adpoſitis deſcriptio. In margine ſubinde leguntur adpellationes eorundem locorum apud alios, Ptolemaeum maxime, inſertaeque ſunt tabulae geographicae 20, rudiores quidem, quibus Melam hic primum inluſtratum eſſe falſo iactat auctor. Vid. ſupra ad an. 1538. f.

60. Pariſiis 1566. 4.

P. M. — libri tres ſumma fide et diligentia recogniti cum indice rerum memorabilium. Pariſiis 1566. *ex typographeo Dionyſii a prato via Amygdalina ad veritatis inſigne.* Ita hanc editionem, quae antea latuerat, literis humaniſſimis ad me miſſis indicavit Bernhardus, Superintendens Stuttgardinus, indicem tamen abeſſe ſimul monuit, etſi nullum lacunae veſtigium adpareat. Cum ex illis exemplis, quae adpoſuerat, repetitam videri editionem Pariſ. an. 1561. reſcripſiſſem, ita vere habere ſilentio ſuo probavit.

Auguſtae Vindelicorum 1567. 8.

Geographiae veteris et novae epitome, et P. Mela de ſitu orbis cum indice Henrici Georgii Hoeniſchii, medici et mathematici Auguſtani. Ita adfert Draudius in bibl. claſſica p. 1112. Ego nec vidi, nec usquam alibi commemoratam inveni. Facit etiam incerta

Draudii fides, qua ſola nititur, ut editionem potius putem in illa urbe a. 1577. evulgatam, cum numeri hoc vitium facile apud Draudium irrepere potuerit. Numerum igitur praeponere ſupra dubitavi.

V. *Aetas Vineti.*

61. Pariſiis 1572. 4.

Cum animadverſionibus Eliae Vineti, qui et Melam emendatiorem dedit, etſi praeteritis emendationum rationibus et cauſis. Notum eſt elegans Vineti ingenium et iudicii acumen, quare etiam eius emendationibus recte ſuum pretium ſtatuitur et iuſta laus a Schotto tribuitur. At rariſſima eſt haec editio, quam fruſtra diu diligenterque quaeſivi. Tandem cum in bibliotheca Lugduno-Batava ſervari cognoviſſem ex catalogo publico p. 200. precibus, quas efficaciter adiuvit *Voutius*, Paſtor Roterodamenſis, amicus vetus et diſcipulus olim cariſſimus, evici Ruhnkenium, Muſis noſtris cum ſummo omnium dolore nuper ereptum, ut eius conlationem adparandam et ad me mittendam curaret. Quod et ita factum eſt, ut et benevolentiam Ruhnkenii, et conlatoris diligentiam grato animo praedicare poſſim. Inde vero cognovi, in plurimis locis a textu Gronoviano an. 1743. ad quem comparata erat, recedere, multa etiam melius, quam a ſuperioribus, conſtitutá eſſe. In fine haec leguntur: *Elias Vinetus Santo emendabam adnotabamque iterum inter praelegendum Burdigalae anno a Chriſto*

nato milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo, annisque poſt quatuor Martiali Campano Petrocoro, Medico, harum etiam literarum perquam ſtudioſo mihique amiciſſimo edendum tradidi; ſi forte Lutetiae, quam poſt annos duodecim reviſebat, ex Petro Pithoeo, Petro Daniele aliisque eruditis amicis noſtris comperiret, hauddum quemquam poſt Hermolaum Barbarum optimae geographiae auctori Latino parem operam praeſtitiſſe. Lectiones eius dedi in notis criticis.

62. Coloniae Agrippinae 1572. 8.

Titulus hic: *Guilielmi Sooni Vantesdeni auditor, ſive Pomponius Mela disputator de ſitu orbis.* Nempe Anglus hic Melam in ſcenam quaſi produxit, ita ut Guilielmus interroget, Pomponius reſpondeat. In praefatione hunc laborem ſibi minus neceſſarium fuiſſe dicit, ſi Vadianus et Olearius diſcentium ſtudia ſuis commentationibus ſatis adiuviſſent; alterum non multum, alterum parum lucis obſcuritati rerum adferre; alterum multa promiſcue congeſſe, alterum pauciora; utrumque aperta multis verbis, obſcuriora multo ſilentio tractare, et interdum, quae corrigere voluerint, depravaſſe. — Promittit hinc magis alacrem, magis illuſtrem, iucundam magis et minus moleſtam lectionem, quam antea — ſe nihil ex auctoris oratione, ordine, ſtilo, verbis mutaſſe, aut loco ſuo moviſſe, niſi ſi quando neceſſitas poſtulaſſet, tamen alium feciſſe. At haec irrito eventu iactavit. Pauca enim meliora reddidit, aut inluſtravit, plura etiam ex ſuo adpoſuit,

quae Mela ignorat. Ut ratio textus ſatis illa mira et inſolita, cum paullo rarior ſit haec editio, perſpici poſſit, ſpeciminis loco initium deſcribere non taedet, quod ducitur a cap. 1. omiſſa praefatione, quae eam formam reſpueret. G. *Quae ſunt igitur mundi partes?* P. *Oriens, occidens, meridies, ſeptentrio.* G. *Unde ſumuntur iſtae differentiae?* P. *Unde ſol oritur, qua dimergitur, qua decurrit, ab adverſa parte nuncupantur.* G. *Quo mundi loco ſita eſt terra?* P. *Medio* — G. *Eſtne ulla terrae diviſio?* P. *Dividitur in duo latera.* G. *Quomodo ea nominantur?* P. *Hemiſpheria.* G. *Unde ducuntur iſta latera?* P. *Ab oriente ad occaſum.* Ad marginem adſperſae ſunt paſſim notae breves, quibus Melae verba eorumque ſenſus explicatur. Ipſe textus, qui fere refert Vadiani lectiones, foedioribus vitiis eſt inquinatus. In fine recenſentur, quod et titulus profitetur, orbis terrarum novi incolae cum locorum nominibus ex ordine alphabetico, in quo adiutum ſe fuiſſe dicit opera Abr. Ortelii et Arnoldi Mylii. Miſerat ad me hanc editionem Lindnerus, Rector Arnſtadtienſis; poſt eius exemplar ipſe mihi paravi.

63. Baſileae 1576. 8.

Ex officina Henricipetrina una cum Solino. Praecedit hic praefatio Chriſti. Vurſtiſii. Mela ipſe expreſſus legitur a pag. 1. ad 101. Scholia, quae titulus praedicat, ſpectant Io. Oporini animadverſiones ad calcem Melae, quae fere libri 1. ſeptem priora capita amplectuntur; nam in voce *Clupea*

definunt; et neglecta textus criſi geographica Melae breviter explicant. Margo textus fert paſſim locorum quorundam adpellationes ex Ptolemaeo maxime ſumtas. Adiectae tabulae ab iis nihil discrepant, quas ſupra ad an. 1595. notavi. Deſcripſit hanc editionem Hagerus c. l. Vol. 1. P. 3. p. 204. et Vol. 2. P. 7. p. 526. qui illam inſpexerat. Quod uſu cognovi, conſentit cum edit. Baſil. an. 1564. 8. etiam in iis locis, ubi illa a Vadiano, etſi rarius, diſcedit.

64. Baſileae 1577. fol.

Vadiani editionem cum commentariis repetit.

65. Pariſiis 1577. 4.

Curavit Henric. Stephanus, qui et alios eiusdem argumenti ſcriptores adiecit, Dionyſium Periegeten, Solinum et Aethicum. Textui ſubiectae ſunt Olivarii adnotationes praemiſſa praefatione, in qua dicit, ſe propterea etiam Olivarii editionem maxima ex parte ſecutum eſſe, lubenter alioquin disceſſurum et frequentius, v. c. in nominum ſcriptura alia aliter, ex vocabulis nomina propria facturum fuiſſe — Multum inde queritur de depravationibus, quae ſint ex vett. libris et aliis auctoribus reſtituendae, earumque proponit exempla aliqua. Atque ita intelligi debet Fabricius Erneſtii p. 79. c. l. cum dicit, textum ab eo aliquot locis emendatum eſſe ex uſu exemplorum manuſcriptorum. Nam qualis expreſſus legitur, ſi pauciſſima loca exce-

peris, Olivarianum reddit, quod uſu edoctus affirmo. Vineti editionem ignoraſſe, certe non adhibuiſſe videtur, quod dicit in praefatione, ſe pro *Inde* poſtliminio redire iuſſiſſe *Indis* 1, 2, 4. quod iam fecerat Vinetus.

66. Pariſiis 1577. 8.

Innotuit mihi haec editio ex catalogo impreſſorum librorum in bibliotheca Bodlejana Vol. 2. pag. 166. ubi ſic commemoratur: Parrhiſ. 1577. 8. apud I. Petit. Ipſe eam non vidi, nec, an recte indicetur, dicere poſſum.

67. Auguſtae Vindelicorum 1577. 8.

Praemittitur epitome Geographiae veteris et novae. In praefatione Georg. Heniſchius, medicus et mathematicus Auguſtanus, editor dicit, correctiorem aliquanto, quam vulgo circumferatur, adiunctum a ſe Melam. Videtur ipſa eſſe, quae ſupra errore numeri ad an. 1567. reiiciebatur a Draudio. Eſt in libris bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis et Electoralis Dresdenſis, quae eius uſum conceſſit. Fert lectiones aliquas bonas, quas enotatas dedi.

68. Burdigalae 1582. 4.

Repetita eſt editio Vineti an. 1572. Commemoratam etiam inveni in catalogo bibl. Thottianae, in Geographis p. 94.

VI. *Aetas Schotti et Voſſii.*

69. Antwerpiae 1582. 4.

Eius auctor eſt Andr. Schottus. Poſt dedicationem legitur Vineti brevis enarratio de Mela. Sequitur ipſe textus, qui diviſa habet capita priſco more, ſcilicet in libro primo 21. quorum ultimum *Chalybes* inſcribitur. Subiunguntur Herm. Barbari caſtigationes in Melam, quas excipiunt caſtigationes Pintiani, adnexis retractationibus, unde ſequuntur ipſius Schotti adnotationum ſpicilegium. In praefatione haec profitetur, ſe notas in itinere Hiſpanienſi ſcripſiſſe, in quo itinerarii loco Melam adhibuerit. Dedicationi ſubſcripſit: Toleti Carpetanorum 1581. In praefatione ad ſpicilegium adnotationum excuſat inopiam librorum per itineris difficultatem. In epiſtola ad Ortelium, quae legitur ad calcem editionis, quam claudit, haec profert, ſe Melam compoſuiſſe cum vetuſto exemplari calamo exarato, cuius mentionem etiam facit 1, 7, 6. et alibi. Pariſienſem vocat 2, 1, 13. depromtum ex bibliotheca Divi Victoris Lutetiae in praefatione, et Lutetiae a ſe comparatum ad praef. Melae in. Pintiani caſtigationes in Hiſpania vix potuiſſe reperiri adfirmat, et quaſi ab interitu vindicatas Ortelio eſſe miſſas. Scripta eſt haec epiſtola Toleti an. 1580. exeunte. De ipſa editione Voſſius, ſeverus ille iudex et acer, ita ſcribit, ſucceſſum potius Schottum, quam bonam voluntatem deſtituiſſe. Idem etiam ad 3, 9, 4. praetermiſſa in Pomponium,

quae Pintiani caſtigationibus ſubiunxit, ex Nunneſii et Ciacconii notis ducta, non ex ipſius cerebello prodiiſſe putat, immemor, ſe ipſum tacite Ciacconio bona ſua inſalutato domino ſubripuiſſe. At recte Erneſti pag. 79. c. l. bonam ſane operam Melae eum navaſſe iudicat. Servatur eius exemplum cum V. C. diligenter conlatum in bibl. Univerſitatis Lugduno-Batavae teſte catalogo p. 200. aliud in bibl. Oxonienſi. Vid. ſupra p. LI. Omnino autem eam deſcripſit Sincerus (Schwindel) in den neuen Nachrichten von raren Büchern p. 326. etſi ego raram non putem. Eius lectiones a me excerptas ſubminiſtrant notae. Praeterea eodem anno 1582. (in dedicatione legitur 1581.) ibidem etiam edita ſunt eius Geographica et Hiſtorica Herodoti, quae Mela Latine reddidit et poſt utilitatis cauſa editioni a. 1748. inſeruit A. Gronovius.

70. Pariſiis 1588. 4.

Apud Nicol. Nivellium. Fuit in bibl. Thottiana ex indicio catalogi T. 4. p. 121. n. 878. unde eam primum cognovi. Poſt rogatus a me Nyerupius, cuius officioſam humanitatem gratus ſemper venerabor, ſic deſcripſit: In titulo legitur *Pariſiis* 1588. 4. *apud Nicol. Nivellium ſub ſigno Columnarum*, conſtatque paginis 40. Nec praefatione, nec notis inſtructa eſt. Textus tantummodo in margine notatas habet lectiones discrepantes, quarum fontem etiam indicat titulus: *Pomponii Melae de ſitu orbis libri tres ad multa nova veteraque exemplaria emendati*

ex Hermolai Barbari et Eliae Vineti lucubrationibus, quibus hac editione acceſſerunt F. Nonii Pintiani et Andreae Schotti variae lectiones. Adnotationes mſctae, quas Thottianum exemplar habebat adſcriptas, cum ob minutam literarum formam lectu eſſent difficillimae, tum ob ipſas res, quantum viderat Nyerupius, nullius erant pretii.

Baſileae 1591. 8.

Cum notis Oporini. Ita refert Hagerus p. 527. c. l. ex Georgii libro: Bücher-Lexicon 1. Supplement p. 253. Equidem nec vidi, neç alibi notatam inveni, quare numerum adponere dubitavi, ſatis me feciſſe arbitratus, ſi omnino indicaſſem. Videtur eſſe ex numeri errore ed. 1595.

S. l. 1591. 8.

Cum Hermolai Barbari et Olivarii notis. Neque hanc unquam vidi, aut exquirere potui, ſed ex auctoribus proxime nominatis novi, quorum etiam fide adpoſuiſſe videtur Kappius. Sine numeri nota igitur et hanc dimiſi.

71. Roſtochii 1591. 8.

Typis Stephani Myliandri. Conſtat pagg. 104. caretque praefatione. Ignorat eam Fabricius; at ſervatur in bibl. Rehdigeriana, quod Scheibelius, cuius liberalitati inſignia Pomponius debet ſubſidia, literis declaravit non ſolum, ſed et conlatione ultro facta confirmavit.

72. Basileae 1595. 8.

Apud Sebastianum Henricpetri cum Solino, qui Melae adnexus sequitur. Repetit editiones an. 1564. in vitiis etiam, et 1576. Praemittitur etiam praefatio Christi. Urstisii (ita quidem hic scribitur, Wursteisen Germanice) additis ex Vadiano appendicibus de Mela, Oporini, docti typographi, adnotationibus, quas ignoravit Ioecherus, insertisque tabulis, quarum tamen hic 1, 3. 4. in inscriptionibus variant. Nempe hic est *Libya*, *Aphrica* et *Marmarica*, ibi *Africa*, *Numidia*, *Cyrenaica*. Accurate hanc editionem, quam ipse possideo, descripsit Hagerus p. 527 sq. c. l. Capita, quod vidi, carent numeris, praeter eos, qui tabulas adiectas indicant. Caput 19. ex ordine Gronoviano hic etiam inscribitur *Bithynia, Paphlagonia, Chalybes*. In margine et hic potiora loca notantur, vel cum Ptolemaeo comparantur.

Basil. 1597. 8.

Hanc editionem, quam nusquam investigare potui, producit Io. Cleffius in elencho librorum prioris seculi ab anno 1500. ad ann. 1602. sic: *Pomp. Mela de situ orbis libri tres et C. Solini Polyhistor uterque scholiis et tabulis elegantibus illustratus;* reliqua, ut supra. Videtur esse praecedens editio, quare et numero orbata prodit.

73. Salmanticae 1598. 8.

Auctore Francisco Sanctio. In dedicatione ad Emanuelem Sarmentum, Theologiae doctorem,

dicit, ſe mittere Melam nudum et ſine notis, ſed emendatiorem et nitidiorem illo, quem aut Hermolaus Barbarus Alexandro VI. dedicaverit, aut poſt eum Pintianus expoliverit, etſi Pintiani imitatorem eum adpellat Ortelius in theſ. Geogr. ſ. v. *Gildano*. Subnectit deinde aliquas emendationes, quarum in amplioribus commentariis ſe rationem redditurum eſſe pollicetur; qui an prodierint, neſcio. Dedicationem repetit editio Gronoviana a. 1748. p. 1049. Rariſſima eſt haec editio, quippe quam nec Voſſius, nec Antonius ipſe, Hiſpanus, viderant, nec exquirere potuerat Hagerus. At rara omnino in ipſa Hiſpania eius opera eſſe, teſtatur Gregor. Majanſius in ſpecimine bibl. Hiſpano-Majanſianae, quod edidit Dav. Clemens, qui p. 99. ex ipſo oculorum uſu ſic deſcribit: *P. M. — libri tres per Fr. Sanctium, Brocenſem, in inclyta Salmanticenſi academia Primarium Rhetorices, Graecae linguae doctorem, purgati, correcti et emendati Salmanticae apud Didacum a Cuſſio* 1598. 8. Pauciſſimas tamen eſſe eius emendationes monet. Schottus in praefatione omnibus aliis meliorem praedicat. Ex quo ſimul efficitur, aut in anno aberraſſe Clementem, aut duplicem fuiſſe eius editionem, quarum prior Schottianam praeceſſit. At in anno minime erratum fuiſſe, adparet ex eo, quod I. Gronovius eundem memorat. Nempe hic eius exemplari uſus eſt, quod cum Chiſiano codice erat conlatum, uti adfirmat in praefatione ed. 1696. Cum in eo eſſem, ut illa potirer, in ipſa via belli incurſibus male

intercepta periit, quae iactura iam ſupra ad an. 1498. iuſtas querelas expreſſerat.

74. Lugduni 1605. 12.

Cum adnotationibus Olivarii. Eſt nuda repetitio ſuperiorum editionum, cuius exemplar ſervatur in bibliotheca Ducali Vinarienſi. Chartae et literae minus ſunt cultae et nitidae, textus vitiis turpioribus inquinatus et gravioribus, ut ex eius uſu cognovi.

75. Lugduni 1609. 8.

Praefixus eſt Solinus, quem ſequitur Mela *ex MSStis aliisque optimis codicibus emendatus et illuſtratus* a Io. Iacobo Graſſero, Baſil. poeta Caeſareo. Edidiſſe videtur primum Solinum a. 1604. quod dedicatio innuit, ante ſuſceptam peregrinationem ſine Mela, qui hic demum adiectus eſt, monente etiam titulo. Repetitas exhibet adnotationes Olivarii, cuius et textum refert, etſi multis vitiis contaminatum. Eius uſum liberaliſſime conceſſit bibliotheca Ducalis Vinarienſis.

Baſileae 1615. 8.

Notaveram hanc editionem ex Lucii catalogo bibliothecae publicae Moeno-Francofurtenſis, in cuius libris hiſtoricis prodit pag. 127. At cum propter aliorum omnium ſilentium dubitatione ſuborta magisque in dies firmata diligentius de illa quaeſiiſſem, reſponſum tandem tuli, bonum Lucium

viſus imbecillitate deceptum, qui in fine adſcriptus eleganti manu fuerat emtionis annus, eum pro anno impreſſionis factae habuiſſe, et vere eſſe ipſam editionem Urſtiſii Baſileae apud Henricpetri 1595. vulgatam.

76. Pariſiis 1619. 24.

Nudus eſt Melae textus ex recenſione Schotti. Fides eſt penes Georgium in libro Bücher-Lexicon T. 3. p. 25. ex quo refert Hagerus p. 529. c. l. Ego non vidi.

77. Pariſiis 1625. 12.

Cum Aethico et Henrici Glareani compendiaria deſcriptione orbis terrarum. Hunc quidem annum Fabricius et ex illo Hagerus et Erneſtius notant. Kappius in editione altera ponit annum 1626. Equidem nihil poſſum ſtatuere.

78. Pariſiis 1635. 12.

P. M. — et Aethici coſmographia; Henr. Glareani compendiaria deſcriptio orbis terrarum apud Io. Libert. Ita eam notat Maittaire in annal. typograph. T. 3. P. 2. p. 899. Si titulum inſpicias, eadem videtur eſſe, quae praecedens, et in alterutro numeri indicio vitium ſubeſſe. Neutram ipſe vidi.

79. Helmſtadii 1635. 12.

Repetit nudum textum Schotti.

80. Lugduni Batavorum 1646. 12.

P. M. de ſitu orbis — Solini Polyhiſtor, Aethici coſmographia cum notis variorum. Praemittitur Vineti de P. Mela brevis expoſitio, cui ſubiunguntur H. Stephani prolegomena in Melam et Solinum. Notae variorum pertinent ad omnes illos auctores modo nominatos ſic, ut Mela interpretem habeat Olivarium, Solinus Delrionem, Aethicus Simlerum. Textus eſt plane Olivarii. Multi hanc editionem commemorant, e quibus de Bure in bibliotheque inſtructive T. 1. p. 49. „Jolie edition aſſez recherchée par la commodité du format, qui lui donne entrée dans la collection des Elzevirs.“ Eius elegantiam laudat etiam Crevenna in catalogue raiſonné p. 22 et in catalogue des livres Vol. 4. p. 7. Ipſe eam uſu cognovi beneficio bibliothecae Ducalis Vinarienſis. Sed et in aliis bibliothecis poſt deprehendi.

VII. *Aetas Voſſii et Gronoviorum ad noſtra tempora.*

81. Hagae Comitum 1658. 4.

Cum Iſ. Voſſii obſervationibus, qui multos codices conſuluerat, licet non certa ſemper tutaque fide, quod poſteriores, nova facta conlatione, vel exploratione, monuerunt, tum plures de aliqua lectione paſſim iactet, quam in uno tantum invenerat, qui poſt Voſſiani 1. nomine frequentatur. Quam quidem maculam a I. Gronovio illi vivo ad-

ſperſam ipſe detergere utcumque contendit in appendice ad 2, 3, 6. altius vero incuſſit teſtimonium Perizonii, qui oculorum uſu edoctus idem adfirmat ad praefat. §. 2. et alibi paſſim. In omnibus autem codicibus, quos vel bibliotheca Chriſtinae, Reginae Suediae, vel Nicol. Heinſius ſubpeditaverant, vel ipſe aliunde nactus erat, tres maxime laudat, Vaticanum omnium antiquiſſimum, Britannicum ex bibliotheca Arundelliana, quam ipſi comparaverat avunculus, Franciſcus Iunius, tertium ſuum, quos ſe potiſſimum ſecutum eſſe adfirmat. Nullum vero accuratius deſcripſit, uti tunc fere ſolebat, eodemque more in proferenda lectione codices omnino praetexit, in gravioribus autem Vaticanum. Iactat tamen etiam ſaepe plures libros e ſuis in tuenda lectione, ubi mendacii convictum produxit Perizonius, qui eiusdem codicibus poſtea uſus erat. Ex iis, qui caſtigationes ediderint, ſolum ſibi ſcribit profuiſſe Pintianum, reliquos, excepto Hermolao Barbaro, ut Vadianum, Olivarium, Schottum, quocumque modo deſpicit, plures Ciacconii notas, quas ſcriptas tenebat, ſibi tacite vindicat, et ſaepe illius verbis reddit, uti praeter alia loca multa docet 2, 7, 7. in verbis *Romana clade*. In fingendo textu ſecutus praecipue eſt Vinetum, cuius etiam editionem, ut ipſe narrat in appendice ad 1, 9. in. typographo deſcribendam tradiderat, at interpolatam. Nempe multas ille emendationes in iisque egregias et probabiles excudit, quibus et adiecit commentarium multiplici doctrina

refertum, qui et rationem mutationum redderet, et Melae narrationem inluſtraret, adſperſis ſaepe disputationibus de aliorum auctorum integritate, lectione et ſenſu. Multa tamen etiam tacite emendavit, aut mutavit, quod quidem in minutis tantum auctoritate meliorum librorum ideo a ſe factum eſſe excuſat, ne faſtidium excitaret. Cf. ad 2, 3, 2. not. 8. 1, 8, 5. n. 11. ubi modeſte adeo de notis ſuis loquitur. At graves lites movit ille commentarius et acriores dedit turbas. Nempe notaverat paſſim acerbius ſubpreſſo quidem nomine, quae Salmaſius ad Solinum diſſeruerat, odio in eum actus, de cuius cauſa cf. Menagiana p. 350. et epiſtola Iſ. Voſſii ad Salmaſium ſcripta poſt Gudianas pag. 333 ſq. Etſi enim disputandi cauſa deeſſe ei non poſſit, qui adtente immenſum illud Salmaſianae doctrinae opus excuſſerit, nec ſine idonea cauſa Voſſius ſaepe reprehendat, ut in [19]) literis ad Voſſium fatetur Sam. Bochartus; paſſim tamen etiam temere, nec bona fide agit Voſſius, quod iudicat etiam Perizonius ad Aelian. V. H. 3, 39. At Iac. Gronovius, qui minime ferendum putaret, eas Salmaſiano nomini maculas inuri, iuvenili fervore abreptus acerrimus vindex contra Voſſium ſurrexit. Cum enim poſtea ipſe Melam ederet, multa acerbe in Voſſium, quem tecte *Viri docti* nomine producit, in prima quidem editione, effundit. Quibus cognitis, mota bile exaſperatus Voſſius aeſtuansque con-

19) Vid. Colomeſii bibl. ſelecta p. 172 ſq.

ſcripſit *obſervationum ad Pomponium Melam appendicem Londini* 1686. 4. in quibus ſe non ſolum defendit, ſed et acerrimis morſibus Gronovium compreſſum iactat. Hinc novis conlectis Gronovius *epiſtolam* ſcripſit *ad Io. Ge. Graevium, qua reſpondetur argutiolis, quibus in appendice obſervationum ad P. Melam utitur Iſ. Voſſius Lugd. Batavor.* 1687. 8. Sed et anno ante 1686. ibidem *de Pallacopa epiſtolam* ad Graevium vulgaverat, in qua Iſ. Voſſii explicationem non ſolum impugnat, ſed et multa ex eius Mela vitioſe et incurioſe elapſa exagitat, v. c. pag. 11. et 26. *in omnibus*, quae *vidi*, *codicibus*; p. 48. duo *voces ſunt*; p. 75. *illae* in dativo; p. 164. *fontes* conſpicuae. Tum et aliunde alia ex libris Voſſianis conquirit, ut rependat Voſſii criminationes in Salmaſium conlectas, in quibus μεγάλος ποταμὸς, quod exciderat Salmaſio, et pag. 23. ex Grammatico Graeco vindicare ſtudet. Hanc litem viris doctis plane indignam et cum magnis animorum aeſtibus verborumque contumeliis agitatam conſecuta paullo poſt Voſſii mors ab una quidem parte diremit. Neque enim vel ſic deſaeviit I. Gronovii ira, ſed et manes Voſſii vexavit poſtea in edit. 1696. Ceterum multa, quod hodie, facta comparationis poteſtate, conſtat, tacite ſubtraxit Nunneſio et Ciacconio, cui, notante Perizonio 1, 2, 6. ad verba *ſuper illum alterum*, addi poteſt Holſtenius. Deſcripſit omnino hanc editionem Baumgarten in merkwürdigen Büchern T. 6. p. 210. Exemplar eius uſurpatum et notis inſtructum a Stephano le Moyne ſervatur in bibliotheca

publica Univerſitatis Lugduno-Batavae, uti teſtatur catalogus p. 200. Errat autem ſine dubio Harwood in libro Ueberſicht verſchiedener Ausgaben der Gr. und Röm. Klaſſiker ex interpretatione Alteri p. 259. praeeunte tamen ipſo Harwoodio in ed. 3. p. 205. cum narrat, Voſſii editionem Londini 1686. 4. repetitam fuiſſe, quod tantum de epiſtola ſ. appendice paullo ante notata valet. Sed nec in aliis ſatis accurate ille egit, adeo ubi de civibus narrat, uti Reinholdii (ſic) editionem 1761. 4. indicat.

82. Rintelii 1666. 12.

Ex recenſione Schotti. Brevi praefationi ſubiungitur P. Melae vita ex Ger. Io. Voſſio de hiſtoricis Latinis, ſequitur deinceps textus nudus, claudit index. Hager c. l. et Kappius c. l. Hannoveranam faciunt. At titulus, quem ſupra poſui ex ipſo adſpectu, locum notatum praefert, ſumtusque tantum feciſſe bibliopolam Hannoveranum addit. Schotti textum exhibet, ſed in multis locis depravatum, ut taceam vitia alia typographica. Quod tamen mirum, ſed ipſo uſu a me eſt cognitum, discrepant in quibusdam locis eius exemplaria. Sic in uno 1, 8, 3. inveni, quod praeivit Schottus: *Proximis nullae quidem urbes, ſtata tamen domicilia ſunt;* in altero: *Proximis nullae quidem urbes ſtant, tamen* — quale ſupra de ed. Olivariana ad an. 1536. notavi. Praefatio Duncani Liddelii, Prof. Mathem. in academia Helm-

ſtadienſi, notas in Melam, in editoris manus delatas, laudat et vulgandas olim promittit.

83. Lugduni Batavorum 1685. 8.

P. Mela — cum Iulii Honorii excerpto Coſmographiae primum hic edito. Auctor, qui tunc latere voluit, eſt Iac. Gronovius. Textus, qui Voſſianam recenſionem paſſim deſerit, in fine totius libri notis maximam partem criticis inluſtratus eſt, in quibus concinnandis codices conſuluerat, certe unum, quod diſerte ipſe profitetur ad 1, 2, 3. adhibuerat. De rixis, quas excitavit haec editio inter ipſum eius auctorem et Voſſium, pluribus antea eſt expoſitum. Laudat tamen, et recte quidem et vere, Voſſii in Mela explicando poſitum ſtudium, quod et in ipſo Gronovio omnes libenter agnoſcunt gratique praedicant. Expertus vero eſt etiam Gronovius impetum ab Rutgero Hermannide factum, quippe qui elegiam, rudiorem quidem, in hanc editionem emiſit, acerbo poſt carmine exploſus et agitatus ab Eraſmo Regio, contra quem poſt ille inſurrexit, cauſamque vitiorum deriſorum tueri libro peculiari conatus eſt anno 1696. ſed barbare prorſus et inſcite, ita ut vix ſerio egiſſe videatur. Ceterum quod in editione A. Gronovii 1748. p. 858. praefatio ad editionem 1688. refertur, itemque a Dukero p. 880. editio I. Gronovii ad an. 1686. ad vitia typographica revocari debet, aut certe poſterius non ſatis accurate traditur. In bibl. Senatoria Lipſienſi ſervatur exemplar, in cuius margine

ignota manus adſcripſerat variantes lectiones multorum locorum ex cod. Bononienſi depromtas, quibus uti contigit.

84. Lugduni Batavorum 1696. 8.

Auctor eius I. Gronovius, qui hic nomen ſuum in fronte libri adpoſuit. Acceſſit praeterea Geographus Ravennas, quem primus Porcheron ex codice Regio Pariſiis 1688. 8. cum notis vulgaverat, hic ex MSto Lugdunenſi ſubpletus. Notae etiam paſſim prodeunt auctae. Voſſium, quem antea, ſubpreſſo nomine, velut virum doctum, adgreſſus erat, nunc aperto Marte impugnat, praeciſis etiam iis, quae in laudes eius antea immiſcuerat. Additi praeterea ſunt numi et adhibiti codices tres, Mediolanenſis, Gudianus et Chiſianus, quem Rulaeus ad ed. Sanctii contulerat, ipſo Gronovio teſte ad 3, 1, 9. unde factum eſt, ut alias ſaepe, atque in priori editione, lectiones reciperet. Quod vitia typographica, quae praeter unum, idemque in priori editione indicatum, negarat Gronovius, extricavit tamen et notavit plura Perizonius de ſuspendio Iudae p. 60. etſi eum refutare aliquatenus ſtuduit A. Gronovius in praefat. ad ed. 1722. Kappius in editionum Gronovianarum recenſu hanc omiſit.

85. Franekerae 1700. 8.

Alia exemplaria etiam praeferunt an. 1701. Eſt repetitio Voſſianae, quae *ſecunda* hic dicitur, notas

textui ſubiicit, quae poſt textum antea erant poſitae, et in fine appendicem ſeparatim antea editam, a Gronoviis caute omiſſam, etſi multa bona in Melam confert, exhibet.

86. Iſcae 1711. 4.

Haec eſt prima Reinoldii editio, quam quidam Londini fuiſſe impreſſam ſcribunt. At diſerte Wardus in A. Gronovii epiſtola ad Wardum praefixa edit. an. 1743. ubi lectoribus de hac editione ex Wardi epiſtola narrationem repetit, ita ſcribit: „Editio haec primum lucem adſpexit anno 1711. Iſcae, haud Londini impreſſa. Nomen editoris eſt Io. Reynoldus, (nempe nominis ſcriptura variatur) vir non indoctus ſcholaeque publicae apud Iſcanos moderator. Melam autem in diſcipulorum praecipue uſum edidit, quorum cauſa etiam chartis Geographicis adornavit. In contextu ſine MSC. auctoritate nihil ſe mutaſſe auctor adfirmat. Quod ad codices autem attinet, quorum ope adiutus fuit, dicit ſe impreſſum exemplar nactum fuiſſe, in cuius margine clariſſ. Bernardus, apud Oxonienſes olim aſtronomiae Profeſſor, multorum MSC. variantes lectiones, dum peregre eſſet, adſcripſerat. MS. autem ex collegio noſtro Greshamienſi; alterum ex Archiepiſcopi Cantuarienſis bibliotheca, quem Voſſius prae omnibus, quos viderat, aliis commendat; tertium ex novo collegio Oxonii; quartum denique apud Hibernos ſe contuliſſe ait.“ Idem adfirmat poſtea ſe notas et variantes lectiones cum aliis,

quae parata habeat, brevi publici iuris facere conſtituiſſe. Sed intra promiſſa ſubſtitit. Quantum enim ſciam, nunquam illa prodierunt, ita ut certum iudicium de receptis ab eo lectionibus ferri nequeat. Titulum, quem ex repetitis eius editionibus addo, hunc praefert: *P. M. — ad omnium Angliae et Hiberniae codicum MSS. fidem ſumma cura et diligentia recogniti et collati, tabulisque, cuncta in eo ſcriptore Gentium Locorumque amplectentibus, nunc primum illuſtrati.* Ex hac editione capita aliqua, quae ad rem ſuam facerent, excerpſit Shaw in itineris ſui deſcriptione. Mirum igitur eſt eo magis, quod Erneſti an. 1773. ex Memoriis Trevoltinis an. 1709. pag. 2045. exſpectare nos iubet hanc editionem, tunc quidem (an. 1709.) recte et vere ibi promiſſam.

87. Londini 1719. 4.

Apud Iulium Taylor. Repetita eſt editio Reinoldi, quam ſic indicat Crevenna in catalogue raiſonné de la collection de livres (ed. 1775.) Vol. 5. p. 22. (ſeu ed. 1789. Vol. 4. p. 7.) qui addit haec: „edition recommendable ſpecialement pour les 27 belles cartes.“ Cf. etiam Brüggeman a view of the engliſh editions — et ſupplement p. 648. Uſus illa erat A. Gronovius.

88. Lugduni Batavorum 1722. 8.

Curante Abr. Gronovio, Iacobi filio, qui non ſolum patris notas addidit multis acceſſionibus

locupletatas, ſed et inluſtriorum interpretum ſubſidia repetiit, Herm. Barbari, Olivarii, Pintiani, Ciacconii, Schotti, Voſſii. Melius tamen et accuratius Herm. Barbari caſtigationes prodeunt in ed. 1748. uti prima editio earum docet Romae 1493. facta. Eadem diverſitas animadvertitur in notis Ciacconii et Pintiani, quas altera illa editio diligentius repetit. Adiuncti ſunt Geographi ſupra in ed. 1696. recenſiti. Textus fere in ſingulis verbis expreſſus eſt ex editione paterna. Notarum tamen illarum acerbitatem omiſſis paſſim contumeliis mitigat, etſi non removet.

89. Curiae Variſcorum 1738. 8.

Auctor eius Henr. Adam. Meiſnerus, qui repetiit textum Gronovii, et in adiecto indice quantitatem multarum ſyllabarum, quae in pronuntiandis gentium et locorum nominibus morari aut impedire poſſunt, utiliter notavit, etſi Hunterum maxime ducem ſequitur, gravioribus auctoribus ſaepe neglectis. Ad Melae explicationem parum aut nihil confert.

90. Londini 1739. 4.

Editio repetita Reinoldii ſine ulla et tituli et textus varietate, qui illum deinceps ſubſequitur, adnexis etiam tabulis geographicis, quarum ſingulae inſcriptae ſunt nominibus procerum Angliae, quorum cura et beneficio inſculptae erant. Eius exemplar ſervat bibliotheca Senatoria Lipſienſis, in

qua ad uſus meos promto ſtudio perluſtravit Ge. Sig. Iaſpis, verbi divini in illa urbe miniſter.

91. Lugduni Batavorum 1743. 12.

Curavit A. Gronovius, qui nomen dedicationi praefixit. Uſus eſt in primis editione Reinoldii, ad quam paſſim textum ſine notis tamen emiſſum informavit. Editionem aliam eodem anno et loco in 8. adparatam cum obſervationibus Voſſii et appendice commemorat Georgius in ſubplementis ad librum ſupra nominatum Bücher - Lexicon P. 1. pag. 253. An recte et vere, dubitare licet, nec temere in hoc auctore et libro dubitavit Hagerus p. 537. c. l.

92. Curiae Variſcorum 1744. 8.

Meiſnerianae editionis, quam antea ad an. 1738. indicavi, repetitio.

93. Lugduni Batavorum 1748. 8.

Curante Abr. Gronovio. Praeter ea, quae in edit. 1722. reperiuntur, ſi exceperis Iulium Honorium, Aethicum et Geographum Ravennatem, excluſos, acceſſerunt hic notae Pe. Io. Nunneſii in duo priora capita libri primi, Iac. Perizonii ad libri primi capp. 17. Ibi enim, cum Melae editionem criticam adornare inſtituiſſet, in medio operae curſu morte interceptus ſubſtitit. Ultimum locum occupant ipſius Abr. Gronovii notae, quae textus maxime

luſtrationem ſpectant. Uſus erat codicibus octo et trium variis lectionibus, in quibus praecipue laudat Voſſianum 1. et Mediolanenſem, tum editionibus quibusdam priſcis, de quibus in praefatione diſſerit, veluti Mediolanenſi an. 1471. literis tamen ea ſaepe eraſis, Aldina, Iuntina, Vinetiana et Reinoldiana. Inde effectum eſt, ut hic textus a ſuperiorum editionum forma discreparet, aliqua etiam mutata daret, quae in ed. 1743. poſuerat. Ciacconii notae meliori hic prodeunt ordine, in ipſa tamen oratione et explicatione diverſae, quod et ſubinde animadverti in Hermolai caſtigationibus, quas ex prima earum editione Romae 1493. fol. comparavi. Ex codicibus de Gudiano tantum iudicare licuit, a cuius vera lectione aliquoties A. Gronovii oculos aberraſſe deprehendi. Sic diſerte quidem, neque tamen vere adfirmat ad 3, 5, 2. in illo legi *temeratus eſt*. Ultimam vero hanc A. Gronovii editionem habendam eſſe, ideo monendum duxi, ne, ſi quis ex annalibus literariis Goettingenſibus an. 1774. ſcida 44. p. 370. recentiorem an. 1761. factam legerit, negligentiae me accuſandum putet. Cum enim magnum Heynium, ut me dubitantem certa doceret, literis adiiſſem, ſtatim ille ſatisfecit, et ex proxima linea numerum illum 1761. reiectum irrepſiſſe ſignificavit. Ceterum experta eſt haec editio acerbum Schloezeri iudicium in libro: Neue allgemeine Welt-Geſchichte T. 13. p. 63.

94. Glasgoviae 1752. 8.

Innotuit mihi primum ex Deltophili (Rewizky) bibl. Gr. et Lat. p. 72. (ed. 1.) Poſt notatam etiam inveni in catalogo Pinellii Vol. 1. p. 364. ex quo videtur eſſe repetitio Gronovianae.

95. Curiae Variſcorum 1756. 8.

Repetita Meiſneri editio ad recenſum Gronovii informata.

Vratislaviae 1756. 8.

Pomp. Melae libri 3 — ad exemplar Gronovianum. Ita eam notavi ex catalogo aliquo librorum publice divendendorum.

96. Etonae 1761. 4.

Editio Reinoldiana, quam titulus alteram vocat, uti iam antea praeferebat ed. 1739. a qua non niſi loco et bibliopola differt. Deeſt etiam hic Canonici honos, qui in illa Reinoldiano nomini adpenditur. Conſentit etiam cum altera illa in reliquis; caret enim praefatione, indicem exhibet nudis verbis propoſitis, ut ipſum textum ſine notis eodemque numero et ordine tabulas. Prolixius eam deſcripſit Kappius in Hageri libro Geogr. Bücher-Saal Vol. 2. P. 9. p. 700 ſq. eiusque variantes lectiones poſt in ed. 2. an. 1781. ſubiecit Melae verbis. Equidem manibus oculisque eius exemplar verſavi, unde adparuit, Voſſianam textus recenſionem in primis

ſequi, nec tamen caeco ſtudio, ſed vel ex codicibus novas lectiones depromſiſſe, vel illorum lectiones, a Voſſio immutatas, aut neglectas revocaſſe, ut 2, 3, 10. — Admiſta tamen etiam ſunt vitia typographica, de quibus certe monendum erat, ne in dubitationem et ſuſpicionem receptae lectiones incurrerent, in primis cum illae ipſae in variis eius editionibus a ſe invicem paſſim diſſentiant, de quo cf. ad ann. 1775.

97. Lipſiae 1773. 8.

Editor, quod ex praefatione diſcitur, fuit Aug. Wilh. Erneſti, eloquentiae Prof. Lipſ. qui repeti iuſſit textum Gronovianum cum indice, adſperſis ad calcem quibusdam aliorum notis in uſum ſcholarum. Aberravit tamen aliquoties in textu typothetae manus, quod et Kappius monuit in praefatione.

98. Curiae Regnitianae 1774. 8.

Auctore Io. Kappio ex recenſione A. Gronovii cum varietate lectionis Kappianae. Utiliſſima eſt haec editio et iuvenum ſtudiis accommodata, praefiat etiam indice, qui non ſolum penultimarum ſyllabarum quantitatem in locorum gentiumque nominibus ſignat et plerumque hodiernam adpellationem addit, ſed et, quamvis parcius, Latinitatem Melae ſenſumque verborum explicat, aut inluſtrat. Textus ipſe refert Gronovianum.

99. Etonae 1775. 4.

Reinoldianae repetitio et tantum non in omnibus conſentiens cum ſuperioribus, etiam in eo, quod *altera* vocatur, quod torſit Kappium. Mihi quidem id videtur a librario profectum, qui forte *altera* ſuo ſenſu pro nova editione haberi et intelligi voluit. Neque tamen ſimpliciter repetitam eſſe ſuperiorem editionem, ſed factis paſſim mutationibus denuo impreſſam, ipſe ex uſu, quem benevole conceſſerat Heyne, cognovi. Non enim paginae ſolum discrepant, ſed et in quibusdam locis textus verba. Quod porro Reinoldius, non Reynoldius in praefatione ad ed. 2. ſcribendum eſſe monet Kappius, illud quidem in tribus editionibus, quarum accuratior data eſt notitia, locum habet, etſi per y efferunt Wardus in praefatione ad A. Gronovii ed. a. 1743. Gronovius ipſe et Saxius in Onomaſt. literario P. 1. pag. 243. Sic etiam per y in libris Anglica quidem lingua editis legi, docuit me Heyne.

100. Curiae Regnitianae 1781. 8.

Kappianae editionis eſt repetitio, in qua tamen auctor providit, ut augmentis locupletata prodiret. Acceſſerunt enim praeter alia textus novae quaedam lectiones a Reinoldio maxime receptae, tum notae textui ſubnexae breves quidem et numero paucae, doctae tamen et acutae. Crevit etiam index explicationibus geographicis et philologicis, addi-

tusque recenſus Geographiae recentioris et veteris. At dolendum eſt, quod, cum iuventutis commodis dicata ſit, typotheta negligentius egit, multaque vitia intulit, non in textum ſolum, ſed et in indicem Reinoldianarum lectionum, quae, ſi non omnia, at pleraque ad calcem libri notata ſunt, repetitis quidem etiam vitiis quibusdam.

101. Wirceburgi 1782. 8.

Nudus eſt textus ex Gronoviano exemplo redditus.

102. Norimbergae 1803. 12.

Nudus eſt textus ex recenſione, ut in fronte indicatur, Iſ. Voſſii atque Gronovii.

103. A Paris et Poitiers 1804. 8.

P. M. traduit en Français ſur l'edition d'Abraham Gronovius le texte vis à vis la traduction par C. P. Pradin. T. 1 — 3. Praemittuntur aliqua de Mela, quem omnino Hiſpanum prope Gades natum putat, et vixiſſe ante et poſt Claudium, deinde aliquas editiones commemorat, at ultra Gronovianam an. 1722. non adſurgit, quippe quam ultimam facit omnium. Ex quo adparet, quam parum curioſe egerit, in primis cum in poſterioribus multa loca in melius fuerint mutata, quibus bonis ſic caret. Textum praecedit tabula orbis terrarum ex mente Pomponii Melae. Textui ſubiecit notas breves ex aliis excerptas, adſperſis ſuis, quas finitis ſingulis

libris excipiunt prolixiores, in quibus Melam explicare et cum recentioribus Geographis comparare ſtudet. Quod notas criticas in titulo iactat, rarae illae ſunt, repetitae plerumque ex aliis, ſine novi codicis ope et textus commodo.

104. Lincii 1804. 8.

Auctor eſt Fr. Nic. Titze, hiſtoriae Profeſſor in Lyceo Lincenſi, qui bibliothecam Latinam claſſicam octo tomis inſtruxit, quibus auctores Rom. veteres, proſaicos et poeticos, partim integros, partim excerptos in commodum iuventutis complecti et notas criticas maxime adiicere ſtatuit. Agmen ducit Mela, cui introductionem praemiſit, in qua de eius vita, ſcriptis et libros eius legendi ratione omnino breviter diſſerit. In textu ſequitur recenſionem Voſſii, ita tamen, ut aliqua ad vetuſtiorum exemplarium fidem, pauca etiam ad ſuam coniecturam immutaverit, quorum quidem rationem ſatis perite in notis dedit. Equidem hanc editionem, quae ſero nimis et recenſu textus acto in manus meas venit, ad Melam adhibere non potui.

Haec eſt enumeratio editionum omnium, quae mihi adhuc innotuerunt et maximam partem Melae uſibus inſervierunt. Quam olim indixerat *Salmaſius* ad Solinum p. 176. 293. et alibi, item ad Lampridii Heliagabalum cap. 6. f. editionem, aliquot centum urbium et locorum nominibus ſaniorem et integriorem, adhibitis etiam exemplaribus ſcriptis, uti

ipſe adfirmat ad Solin. p. m. 113. ſine dubio eius morte intercepta periit, ſaltem in catalogo operum, qui eius epiſtolis praefixus eſt Lugd. Batav. 1656. 4. nulla Melae editio invenitur. Nec ſucceſſum alia habuit, quam meditatus erat *Chriſtoph. Cellarius*, ut refert Gundling in Hiſt. der Gelahrheit Tom. 3. p. 4368. Eventu etiam caruit ſimile *Perizonii* conſilium, quod in medio curſu, ut infra monebitur, evanuit. Novam noſtra aetate promiſerunt *Penzelius* et *St. Croix;* ille quidem ante plures annos privatis literis, quae editionem geographorum minorum exſpectare iubent, Latinorum etiam, quod puto; hic publice in Memoire envoyé à Meſſieurs du Journal des Sçavans ſur une nouvelle edition des petits Geographes anciens an. 1789. menſe Aprili p. 657-753. et ſeparatim in peculiari libello, cuius conſpectum dedit Harleſius in Fabricii bibl. Gr. Vol. 4. p. 668 ſqq. In aliis, qui Melam vel notis inluſtrarunt, vel inluſtratum edere conſtituerant, Erneſti in Fabricii bibl. Lat. T. 2. p. 482. praeterea commemorat *Iac. Sirmondum*, *Caſpar. Barthium*, *Marqu. Gudium*, *Io. Ge. Graevium*, *Iac. Perizonium;* quibus addi poſſunt et alii, ſi ſubſiſtas in iis, qui Melam notis ſeorſum explicarunt aut inluſtrarunt.

Scholiaſten quidem Melae paſſim producit Geſnay de Maſſilia, ut lib. 1. cap. 3. p. 5. cap. 3. p. 8. quod veterem aliquem Grammaticum innuere videtur. At re diligentius explorata factaque aliorum interpretum comparatione, vidi ipſa Münſteri eſſe

verba, atque ad Scholiaſtae ſuſpicionem illum deductum veniſſe, quod Münſterus, ut ſuas notas ab Olivarianis diſtingueret, ſcholiorum nomine ſignavit. Cf. ad ann. 1538. et 1543.

Adnotationes autem illae virorum doctorum in Melam adparatae in bibliothecis vel publicis vel privatis latent, quas indicare hic paucis non abs re eſſe arbitror. Sic Melam tentarunt, vel in ſcholis explicarunt

Duncanus, de cuius notis manuſcriptis varia leguntur in auctoribus. Sic Montfaucon in bibl. bibliothecarum MSStorum nova T. 2. p. 765. haec habet: „Duncani adnotationes in librum 1. Pomponii Melae de ſitu orbis.“ In catalogo bibliothecae Regiae n. 4854. producitur codex chartaceus, olim Mentellianus, qui videtur ſaeculo 16. eſſe exaratus, et continet Duncani Marrudaeri, Scoti, adnotationes in Pomp. Melam de ſitu orbis. Hiſtoire literaire de la France, quae epiſcopum facit, T. 6. p. 549 ſq. haec de illo leguntur: „Duncan a fait auſſi des obſervations ſur le livre de Pomponius Mela, touchant la ſituation de la terre. On voit par là, que ce profeſſeur tachoit de donner à ſes diſciples quelque gout pour la geographie, qui étoit alors ſi univerſellement negligée. Ses obſervations ſe trouvent dans le Manuſcrit cotté 6639. de la bibliotheque du Roi.“

Frontonis Ducaei adnotationes memorantur ex bibliotheca Reginae Sueciae in Vaticana n. 493. in

Montfaucon bibliotheca bibliothecarum MSStorum nova T. 1. p. 25. Eaedem etiam producuntur in catalogo MSS. bibliothecae Regiae Pariſ. P. 3. T. 4. p. 8. n. 4853. ex cod. chartac. olim Colbertino.

Anonymi adnotationes in 5 priora capita libri 1. continentur in cod. chartaceo, olim Mentelliano n. 4855. eiusdem bibliothecae Pariſ. Regiae, quae ad ſaeculum 17. referuntur.

Sic intelligendum puto Scholiaſten ineditum, cuius meminit Gonzalez, Hiſpanus interpres p. 283. ad 1, 19, 15. ad vocem *ore*, quam ab eo *freto* explicari ſcribit.

Iacobi Sirmondi adnotationes ineditae et anno 1586. exceptae reperiuntur in codicibus duobus Pariſienſibus n. 4835. et 4836. Porro earundem duo exemplaria ſub eodem titulo exhibet catalogus MSStorum codd. collegii Claromontani Societatis Ieſu, Pariſ. 1764. 8.

Politiani caſtigationes in Melam commemorat Gundlingius in Hiſtorie der Gelahrheit T. 2. p. 2119. at per errorem ita editum, et Pintiani caſtigationes intelligi debent, ut docet nexus.

Camertis etiam indicantur ſcholia ad Pomp. Melam, quae ſupra in recenſu editionum ad an. 1512. adtigi.

Holſtenii notam reſpicit Perizonius ad Melam 1, 2, 6. p. 903. ed. Gronov. an. 1748. quam ex obſervationibus eius ad caſtigationes Pintiani ductam

esse putat ibi Dukerus. At idem de iis magis expolite sic scribit p. 882. in praefatione ad Perizonii notas: „Holstenii observationes in Pomponium Melam ed. Antwerp. 1582. (ea est editio Schotti) in castigationes Hermolai Barbari: in Pintiani notas: in Andr. Schotti observationes: in ed. Henr. Stephani 1577. Sunt autem non plures, quam quae sex, aut summum septem, harum Observationum paginas implere possint, nec Holstenii nomen praeferunt, sed hunc earum auctorem esse, ex alia charta didici.“ Post tamen intellexi ex epistola Uhdenii ad Geislerum data, ad marginem editionis Stephanianae, quam servat bibliotheca Barberina Romae, aliquas Holstenii notas adlitas esse, quae eaedem esse videntur.

Mariangeli emendationes passim in notis adtingit Pintianus, v. c. 2, 1, 10. et 12. 2, 7, 4. easque a posterioribus probatas fuisse addit.

Duncani Liddelii, Profess. Mathem. in academia Helmstadiensi, praefatio ad edit. Rinteliensem 1666. 12. notas in Melam ad editoris manus delatas laudat et vulgandas olim, modo pax redierit, promittit.

Io. Geo. Graevii dictata in Melam fuerunt in bibl. Burmanniana, in cuius catalogo MSStorum p. 18. producuntur. Eadem, foediſſimis tamen vitiis inquinata, servantur etiam in bibliotheca Musei Britannici, unde cum prior pars magno pretio descripta

ad me veniſſet, vidi poſt Voſſium, cuius notas reſpicit ad 1, 9, 8. eſſe confecta, et in expediendo ſenſu Melae et explicanda Geographia verſari, remota textus exploratione critica, nec niſi nota ſatis plerumque adferre, utilia tamen et apta.

Curioſius in Melam inquirunt notae Iac. Gronovii manuſcriptae, quas ex eius ore exceperat diſcipulus, et melior ſors in Seyboldii, Profeſſoris quondam Tubingenſis, bibliothecam deduxerat, qui vir doctus ad omnem humanitatem lubenter paratus, earum uſum benevole conceſſit, ſic ut maximam partem in notis adpoſitae ab aliis etiam lectoribus cognoſci et iudicari poſſint. Eiusdem Gronovii breviores, ſed frugiferas notas ſubminiſtraverat Adelungius, praeclare de adiuvando Mela meritus, Perizonii quidem nomine inſcriptas, ſed vere Gronovii, quod uſu cognovi ad 3, 6. in. ubi patris meminit in notis ad Liv. 5, 34.

Praeterea publicae auctionis obportunitate oblata comparatas teneo *Petri Burmanni* adnotationes in publicis ſcholis editas, eas tamen tenues et exiles, ſic ut ad explicandum Melam parum aut nihil conferant.

Neque hic ingrato ſilentio licet praeterire notas b. Geisleri, quas Meiſnerianae editioni ille adſcriptas ultro ad me miſerat, ſi quid inde ad uſum Melae converti poſſe intellexiſſem. Continentur illae fere explicationibus et comparationibus geographiae

veteris et recentioris, rituum, morum et similium, atque hactenus ex iis passim excerpta dedi.

Multa etiam ad Melae explicationem conlegisse *Conr. Sam. Schurtzfleischium* narrat Gundlingius in Hist. der Gelahrheit Tom. 3. p. 4064. Is enim in supellectile literaria, qua in itinere susceptо utebatur, Varroni et Censorino adiunxerat Melam, cui notatu digniora ex vetere Geographia adscribere solitus erat. At num edita fuerint, et ubi lateant, equidem dicere non habeo.

Subsequantur nunc eae virorum doctorum in Melam adnotationes, quae typis redditae prostant. Primo hic loco prodeat

Hermolaus Barbarus, de cuius quidem castigationibus supra dictum est in recensu editionum n. 11. p. LXXI sq. Respicit in iis maxime editionem Venetam 1482. 4. quod ex iis locis intelligitur, ubi ante eum illa sola et primum lectionem aliquam praefert, ut 2, 2, 7. *Ischnon*, 2, 5, 4. *Albiana*, 2, 7, 11. *Cathon* et alia. Quam incerta fide A. Gronovius illas reddiderit, iam supra monui. Saepius illae postea et in editionibus et seorsum prodierunt.

Alterum locum tenet *Pintianus*, s. ut quidam scribunt, *Pincianus*, qui proprie dictus est *Ferdinandus Nuñez de Guzman*, post a patria *Ferdinandus Nonius Pintianus*, de quo cf. Antonius in bibl. Hispan. (Rom. 1672. f.) p. 291. De eius castigationibus ita multi loquuntur, ut dubius quis haerere possit,

utrum ſeorſum prodierint, an ipſum Melam comitem nactae fuerint. Sic enim diſerte refert Fabricius Erneſtii T. 2. pag. 79. Ferd. Nonus Pintianus, Hiſpanus, Rhetorices et utriusque linguae Profeſſor in academia Salmanticenſi — caſtigationes cum textu Melae primum edidit Salmanticae a. 1543. 8. ſed poſtea eas diligenter retractavit in caſtigationibus Plinianis poſt lib. 6. an. 1547. 8. Ita Salmaſius in exercitationibus Plin. in Solinum p. m. 605. editionem Pintiani commemorat, qua etiam uſus eſſe videtur Petrus de Marca in Marca Hiſp. 1, 9, 6. Scribit enim de Pintiani emendatione in Mela 2, 5. f. „Sic edidit hunc locum: *Tum in Pyrenaei promontorio templum Veneris* — Correctionis rationem reddit in adnotationibus ſuis ad hunc locum.“ Quibus verbis editionem ab adnotationibus diſtinguit. Schottus etiam, qui noſſe poterat, ita ad 3, 7, 2. ſcribit: Edito iam Mela *Noviſſima India* legi voluit Pintianus. Et ſic ex aliorum narrationibus in recenſu editionum interpoſuit etiam hanc Hagerus p. 524. c. l. et cum caſtigationibus eius paralipomenisque et retractationibus an. 1543. prodiiſſe refert, etſi ſic minus accurate miſcet. At in aliis auctoribus, qui certa noſſe et adferre debebant et poterant, editionis mentione omiſſa, omnino tantum obſervationes notantur, in quibus Antonius in bibl. Hiſp. vetere T. 1. lib. 1. c. 11. p. 52. f. p. 68. ed. Bayerii, et in bibl. Hiſpana nova T. 1. p. 291. f. 384. Ita in ſpecimine bibliothecae Hiſpano-Majanſianae pag. 57. tantum haec a Majanſio notata leguntur: „Scripſit

etiam Pintianus caſtigationes in Pomponium Melam easque dicavit Iohanni Quinoni anno 1543. et nullum reſponſum ab eo accepit, ut ipſe refert in laudata epiſtola," nempe ad Hieronymum Suritam apud Dormerium in progreſſibus hiſtoriae in regno Aragonum p. 532. „Sunt autem eius caſtigationes et retractationes notiſſimae, quippe aliquoties repetitae a Schotto et A. Gronovio. Ita autem ipſe de earum ratione et conſilio in illa dedicatione, poſtquam de Melae ulceribus et vomicis queſtus erat, haec tradit: „Plurima in eo verba deſiderabantur, nec ſingula modo verba, ſed verſus interdum aliquot. Quaedam redundabant, falſo ei adtributa; alia praepoſtero ordine, alia mendoſiſſime ſcripta legebantur. Multis imperitorum Grammaticorum ſacrificulorumque gloſſematis ineptis, item impudentium caſtigatorum appendicibus refertus erat. Quae omnia, qua potui diligentia, partim ſolus poſt tot cenſuras, ut reor, ſanavi; partim in meliorem conditionem redegi ad accuratiorem magisque exactam disquiſitionem revocata." Hactenus. Subnatae autem illae erant, quod ipſe profitetur, ex ſcholis privatis, per ferias academicas habitis, in quibus Melam adoleſcentibus quibusdam expoſuerat. Poſt emiſit retractationes, in quibus, quae aut non ſatis recte dicta in Pomponium viſa eſſent, aut omiſſa, emendavit, aut ſubplevit; tumultuaria enim opera priores obſervationes compoſitas fuiſſe. Atque eorum monitorum rationem etiam habuit A. Gronovius, omiſitque antea ab eo notata, veluti

de Margiana 1, 2, 4. quippe quae deleri poſt ipſe cuperet, ut ex facta comparatione didici. In fine operis, cuius etiam verba repetita dat A. Gronovius, graviſſime queritur, quod in poſtremo fere terrarum orbe relegatus omnibus literarum praeſidiis deſtitutus ſit, otio ad ſcribendum, copia emendatorum codicum, conſuetudine vel mediocriter doctorum, ſpe omni aut emolumenti, aut honoris, aut obſcurae ſaltem grati animi ſignificationis; multis inſuper ſolicitudinibus et anxietatibus vexatus, quae ipſi ab invidis, ingratis, perfidis et ſceleratiſſimis hominibus conflatae fuerint. Multa iis furripuiſſe Olivarium, ſupra notatum eſt. Quodſi obſervationum illarum ad Melam utilitatem ſpectes, facile ex iis elucet ſagaciſſima et acutiſſima mens Pintiani, et doctrina ampliſſima et exculta, etſi liberius ſaepe in auctorem graſſatur, et quae prima ſpecie magis adriderent, reponit, quae palatum faſtidiret, extrudit, ſic ut modo inſerat, modo tollat, blandis modo, modo idoneis argumentis uſus, cum nusquam codicis conſulti veſtigium cernatur, ſine qua ope lubrica proceditur via, niſi alia vel invitum trahant. Gravius illum de cavendo eo intemperantiae vitio monuerat Sepulveda epiſtol. 3, 15. his verbis: „Quod in caſtigando P. Mela te occupatum eſſe ſcribis, gaudeo conſiliumque probo — ſed ut humaniter, quantum res patietur, tractes, te vehementer rogo — utque in eo caſtigando auctorem adhibeas Ciceronem, qui docet, omnem caſtigationem contumelia vacare debere; quod vereor equi-

dem, ut praeſtare poſſis in tanta ſeveritate, qui te ſexcenta loca in opere tam parvo vixque tot verba continente, corrigere profiteris. Erit igitur tuae prudentiae et gravitatis cavere, ne quid cupidius, ne quid ambitioſius feciſſe videaris, atque eo magis, quod iniuſtae caſtigationis contumelia ſolet in caſtigantem nonnunquam recidere." Eandem caſtigandi in eo libidinem notavit etiam epiſtol. 3, 19. Magnì tamen iudicii virum recte eum adpellat Voſſius ad Melam 2, 1, 4. etſi diligentiam eius paſſim deſiderat Ciacconius, uti ad 1, 19, 6. Inde vero factum eſt, ut multa poſtea probarentur et exciperentur. Quam textus recenſionem ſecutus ſit, indagare non potui, cum in plerisque referat Vadianum, in aliis Olivarium, in quibusdam ignotam mihi editionem, Salmanticenſem forte 1498. 4. ante oculos habuiſſe videtur.

Io. Oporini, typographi, adnotationes in Pomp. Melam ſupra in editionibus indicavi ad an. 1576. Breves illae ſunt et tenues, nec niſi ſummas rerum adtingunt.

Petrus Io. Nunneſius, Valentinus, in epiſtola ad Schottum miſſa, diſſeruerat de patria Melae, quam Mellariam fuiſſe ſtatuit, additis notis in prooemium atque duo priora capita libri primi, in quibus adhibuerat codicem miſctum et edit. Salmanticenſem 1498. 4. et diligentius de vera lectione ſenſuque verborum et geographica ratione quaeſivit. Repe-

titiae illae ſunt in ed. A. Gronovii an. 1748. a p. 519. ad 545.

Petrus Ciacconius totum Melam explicavit notis criticis et philologicis ſat frugiferis, maxime ad cap. 9. libri 1. nam reliquae erant in margine ſcriptae et confuſae, quae cum in priori editione Abr. Gronovii a. 1722. minus accurate redditae eſſent et plene, in altera a. 1748. meliori ordine et diligentiori cura prodierunt. Commemorat ipſe Ciacconius duo potiſſimum codices a ſe ad diiudicandum textum conſultos, ex quibus ſaepe meliorem lectionem fingit, tertium etiam, raro tamen, adiungit, ut 3, 6. in. Propiori adpellatione ita eos deſignat, ut notet librum Latini Latinii, ut 1, 6, 1. ad verba *Iubae et Syphacis;* Fulvii Urſini, ut 3, 1, 1. ad verba *non alios aliosque;* denique ſuum, ut ad 1, 19, 5. ad verba *conditor Iaſo.* In ipſa verborum explicatione luculenta utitur brevitate et rerum apta intelligentia. Equidem repetii eas, quas exhibet editio A. Gronovii a. 1748.

Reſtant notae *Iacobi Perizonii*, apti et diligentis interpretis, et criticae et philologicae et geographicae, quibus Mela egregie adornatur et adiuvatur ad capp. 16. libri 1. quia morte obpreſſus conficere illas non potuit. Larga fuit ſubſidiorum copia, in quibus ſunt, praeter excerptas ab aliis lectiones variantes, ſeptem codices, Lipſienſis, ipſius et quinque Voſſiani, quibus acceſſerunt editiones multae veteres. Eas Obſervationibus miſcellaneis d'Or-

villio miſerat Dukerus, adſperſis etiam ſubinde ſuis. Nempe Perizonius editionem Schotti a ſe emendatam typographo exprimendam daturus erat, teſte Dukero p. 893. in ed. A. Gronoviana 1748. in qua repetitae leguntur a pag. 883. ad 972. Videtur eas ſcripſiſſe poſt an. 1685. et ante an. 1696. uti coniici poteſt ex nota ad 1, 16. in.

Fuerunt praeterea viri eruditi alii, qui oblata ſcribendi obportunitate Melam explicare vel totum, vel praecipua eius capita tentarunt. Ex iis, quos novi, priori nomine adpellandus eſt *Io. Aug. Müller*, ſcholae Electoralis Miſnenſis nuper Rector meritiſſimus, qui nactus lectiones codicis Cibinienſis, cum antea in ſcholis publicis Melam expoſuiſſet, proluſiones 18 edidit ſcholaſticas ad habendas orationes inde ab a. 1789. ad an. 1802. quae conlectas illas opes publico uſui committerent. Quae in iis ſunt potiora et exſtantiora, inde relata in meis notis adpoſui, omiſſis notis et facile obviis.

Aliquatenus Melam tractavit *Georg. Wilh. Kirſchius*, ſcholae, quae Curiae Regnitianae floret, Rector. Hic enim an. 1784. in diatribis 2 ſcholaſticis dedit Lectionis Gronov. et Reinold. in aliquot P. Melae locos σύγκρισιν, et a. 1791. de vera Africae figura ſecundum P. Melam contra Reinoldium diſſeruit.

Quae per libros ſparſa obiiciuntur, vel ad viam quaſi monendum viderunt viri docti, quatenus

in lectionis curſu conlegi, ſuis locis digeſta in notis dedi.

Reſtant verſiones diverſis linguis editae. *Hiſpanicam* fecit Ludovic. Tibaldus, Toletanus, regius chorographus, quam omnino ſine mentione loci et anni memorat Fabricius Erneſtii in bibl. Latina T. 2. p. 83. Ipſum titulum plenius indicat Antonius in bibl. Hiſpana vetere T. 1. p. 52. ſic: *La Geographia de P. Mela illuſtrada con nombres modernos de lugares, montes, y rios* an. 1642. 8. Madrid. Qualis illa ſit, dicere non habeo. Alteram, quae ſervatur in Electorali bibliotheca Dresdenſi, uſu cognovi. Titulum praefert hunc: *Compendio Geographico i hiſtorico de el orbe antiquo; deſcripſcion de el ſitio de la tierra eſcripta por P. Mela — de la libreria de Don Juſepe Antonio Gonzalez de Salas — en Madrid* 1644. 4. Haec verſio, adſperſis ſubinde uberioris explicationis gratia verbis ſynonymis, preſſius auctoris narrationem ſequitur ex recenſione Schotti redditam. In margine Geographica adtingit, vel ſenſum verborum breviter diiudicat, quod notis textum ſubſequentibus uberius perfecit, in quibus tantum non ſemper Pintianum probat. Tandem adiecit 3 disputationes de cauſis verſionis, de Geographia antiqua, de patria, aetate Melae et libri virtutibus. Aliquoties mentionem iniicit editionis Latinae, v. c. pag. 274. quae an prodierit, neſcio. Promittit enim p. 358. *ſi el Segnor concede vida*, et quidem cum notis *de no menor novedad*, quales opes paſſim in hac interpretatione iactat.

Italica ita inſcribitur: *I tre libri del ſito, forma e miſura del mondo di Pomponio Mela tradotti per Tommaſo Porcacchi, in Venezia per Gabriele Giolito*, 1557. 8. Cf. Catalogo della libreria Capponi (Rom. 1747. 4.) p. 255. Raram eam eſſe, teſtatur Oſmont in dictionaire typographique T. 1. p. 465. et Paitoni in bibl. degli autori antichi T. 2. p. 243. Equidem ne vidi quidem.

Aliam verſionem Italicam in bibliotheca Vaticana inter Ottobonianos codd. ſervatam cod. chartac. 1779. in 8. indicavit Frider. Adelungius hoc titulo: *Pomponio Mela del Sito del Mondo tradotto di Latino in volgare Toſcano per Meſſer Nicodemo Tagli Seneſe al Magnifico et generoſo Meſſer Pier Franceſco Borgherini Fiorentino*, MDLII.

Franco-Gallicam verſionem dedit *Fradin*, eamque comitem adiunxit Melae Latino, in editione eius a. 1804. facta, de qua ſuo loco dictum eſt. Liberior illa eſt, nec preſſius ſequitur auctoris verba.

Anglia hanc tulit, ut narrat Ames in topographicàl antiquities p. 371. *The rare and ſingular Work of Pompon Mela, that excellent and worthy Coſmographer, by John Charlewood*, London 1590. 4. omiſſo auctoris nomine, qui fuit *Arthur Golding*. Ego non vidi.

In Germanicam linguam transtulit *Io. Chriſti. Dietz* atque inſcripſit *Pomp. Mela drey Bücher von der Lage der Welt, Gieſen* 1774. 8. Dura multa habet

et aſpera a noſtrae linguae forma et colore aliena. In notis Cellarium fere reddit et nota plerumque adfert.

Explicatio numerorum in notis criticis.

N. 1. indicat ed. 1. ſ. l. et a. p. 60.
— 2. — ed. Mediolan. 1471. 4.
— 3. — — Venet. 1478. 4. per Pictorem.
— 4. — — Venet. 1478. 4. per Franciſcum renner.
— 5. — — Venet. 1482. 4.
— 6. — — ſ. l. et a. 4. Cf. p. 70. n. 11.
— 7. — — ſ. l. 1501. 4.
— 8. — — ſ. l. 1502. 4.
— 9. — — Pariſ. 1507. 4.
— 10. — — Wittemberg. 1509. 4.
— 11. — — Norimberg. 1511. 4.
— 12. — — Viennae 1512. 4.
— 13. — — Pariſ. 1513. 4.
— 14. — — Lipſiae ſ. a. 4.
— 15. — — Florent. 1517. 8.
— 16. — — Viennae 1518. ſ.
— 17. — — Venet. 1518. 8.
— 18. — — Viennae 1520. 4.
— 19. — — Lipſ. 1521. 4.
— 20. — — ſ. l. 1521. 16.
— 21. — — ſ. l. et a. Camertis.
— 22. — — Baſil. 1522. ſ.
— 23. — — Florent. 1526. 8.
— 24. — — Pariſ. 1532. 8.

N. 25. indicat ed. Parif. 1536. 8.
— 26. — — Baſil. 1538. f.
— 27. — — Parif. 1539. 8.
— 28. — — Tubing. 1550. 8.
— 29. — — Parif. 1561. 4.
— 30. — — Baſil. 1564. 8.
— 31. — — Parif. 1572. 4.
— 32. — — Baſil. 1576. 8.
— 33. — — Parif. 1577. 8.
— 34. — — Auguſt. Vindel. 1577. 8.
— 35. — — Antwerp. 1582. 4.
— 36. — — Roſtochii 1591. 8.
— 37. — — Baſil. 1595. 8.
— 38. — — Lugd. 1609. 8.
— 39. — — Hagae 1658. 4.
— 40. — — Lugd. Bat. 1685. 8.
— 41. — — — 1696. 8.
— 42. — — — 1722. 8.
— 43. — — Londini 1739. 4.
— 44. — — Lugd. Bat. 1743. 12.
— 45. — — — 1748. 8.
— 46. — — Curiae Regnit. 1781. 8.

POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBER I.

POMPONII MELAE

DE

SITU ORBIS

LIBER I.

PROOEMIUM.

Orbis ſitum dicere adgredior, impeditum 1
opus, et facundiae minime capax; (conſtat
enim fere gentium locorumque nominibus, et
eorum perplexo ſatis ordine, quem perſequi,
longa eſt magis, quam benigna materia) ve-
rum adſpici tamen cognoſcique digniſſimum,
et quod, ſi non ope ingenii orantis, at ipſa
ſui contemplatione pretium operae adtenden-
tium abſolvat. Dicam autem alias plura et 2
exactius: nunc ut quaeque erunt clariſſima et
ſtrictim. Ac primo quidem quae ſit forma
Totius, quae maximae Partes, quo ſingulae
modo ſint atque habitentur, expediam; deinde
rurſus oras omnium et litora, ut intra extra-

que ſunt, atque ut ea ſubit ac circumluit pelagus; additis, quae in natura regionum incolarumque memoranda ſunt. Id quo facilius ſciri poſſit atque accipi, paullo altius ſumma repetetur.

CAP. I.

De Mundo et partibus eius.

1 Omne igitur Hoc, quidquid eſt, cui Mundi Coelique nomen indidimus, unum id eſt, et uno ambitu ſe cunctaque amplectitur. Partibus differt; unde ſol oritur, Oriens nuncupatur, aut Ortus: quo demergitur, Occidens, vel Occaſus: qua decurrit, Meridies: ab ad-
2 verſa parte, Septemtrio. Huius medio Terra ſublimis cingitur undique Mari: eodemque in duo latera, quae Hemiſphaeria nominantur, ab oriente diviſa ad occaſum, zonis quinque diſtinguitur. Mediam aeſtus infeſtat, frigus ultimas: reliquae habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius ſitus ob ardorem intercedentis plagae incognitus,
3 huius dicendus eſt. Haec ergo ab ortu porrecta ad occaſum, et quia ſic iacet, aliquanto, quam ubi latiſſima eſt, longior, ambitur omnis

oceano, quatuorque ex eo maria recipit; unum a ſeptemtrione, a meridie duo, quartum ab occaſu. Suis locis illa referentur. Hoc primum anguſtum, nec amplius decem 4
milibus paſſuum patens, terras aperit atque intrat. Tum longe lateque diffuſum, abigit vaſte cedentia litora, iisdemque ex diverſo prope coëuntibus, adeo in artum agitur, ut minus mile paſſibus pateat. Inde ſe rurſus, ſed modice admodum, laxat: rurſusque etiam, quam fuit, artius exit in ſpatium. Quo cum eſt acceptum, ingens iterum et magno ſe extendit ambitu, et magnae paludi, ceterum exiguo ore, coniungitur. Id omne qua venit, quaque diſpergitur, uno vocabulo Noſtrum mare dicitur. Anguſtias introitumque ve- 5
nientis, nos Fretum, Graeci πορθμὸν, appellant. Qua diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat. Ubi primum ſe artat, Helleſpontus vocatur. Propontis, ubi expandit. Ubi iterum preſſit, Thracius Bosporus. Ubi iterum effundit, Pontus Euxinus. Qua paludi committitur, Cimmerius Bosporus. Palus ipſa, Maeotis. Hoc mari et duobus inclutis 6
amnibus, Tanai atque Nilo, in tres partes univerſa dividitur. Tanais a ſeptemtrione ad meridiem vergens, in mediam fere Maeotida

defluit: ex diverſo Nilus in pelagus. Quod terrarum iacet a freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus; ab altero, Europen: [ad Nilum, Africam; ad Tanain, Europen.] Ultra quidquid eſt, Aſia eſt.

CAP. II.

Brevis Aſiae deſcriptio.

1 Tribus hanc e partibus tangit Oceanus, ita nominibus, ut locis differens. Eous ab oriente, a meridie Indicus, a ſeptemtrione Scythicus. Ipſa ingenti ac perpetua fronte verſa ad orientem, tantum ibi ſe in latitudinem effundit, quantum Europe et Africa, et quod inter ambas pelagus immiſſum eſt. Inde cum aliquatenus ſolida proceſſit, ex illo Oceano, quem Indicum diximus, Arabicum mare et Perſicum, ex Scythico Caſpium recipit: et ideo, qua recipit anguſtior, rurſus expanditur, et fit tam lata, quam fuerat. Deinde cum iam in ſuum finem aliarumque terrarum confinia devenit, media noſtris aequoribus excipitur; reliqua altero cornu pergit ad Nilum, altero
2 ad Tanain. Ora eius cum alveo Nili amnis ripis deſcendit in pelagus, et diu, ſicut illud incedit, ita ſua litora porrigit: deinde fit

venienti obviam, et primum se ingenti ambitu incurvat, post se ingenti fronte ad Hellesponticum fretum extendit: ab eo iterum obliqua ad Bosporum, iterumque ad Ponticum latus curva, aditum Maeotidos transverso margine adtingit: ipsam gremio ad Tanaim usque complexa, fit ripa, qua Tanais est. In ea pri- 3
mos hominum ab oriente accipimus Indos, et Seras, et Scythas. Seres media ferme Eoae partis incolunt, Indi *et Scythae* ultima: ambo late patentes, neque in hoc tantum pelagus effusi. Spectant enim etiam meridiem Indi, oramque Indici maris (nisi quoad aestus inhabitabilem efficiunt) diu continuis gentibus occupant. Spectant et septemtrionem Scythae, ac litus Scythicum (nisi unde frigoribus arcentur) usque ad Caspium sinum possident. Indis proxima est Ariane, deinde Aria, et 4
Cedrosis, et Persis ad sinum Persicum. Hunc populi Persarum ambiunt, illum alterum Arabes. Ab his, quod in Africam restat, Aethiopum est. Illic Caspiani Scythis proximi sinum Caspium cingunt. Ultra Amazones, ultraque eas Hyperborei esse memorantur. Interiora terrarum multae variaeque gentes 5
habitant. Gandari et Paricani, et Bactri, Sugdiani, Harmatotrophi, Comarae, Comani, Pa-

ropamiſii, Dahae ſuper Scythas Scytharumque deſerta. At ſuper Caſpium ſinum Chomari, Maſſagetae, Caduſii, Hyrcani, Iberi. Super Amazonas et Hyperboreos Cimmerii, Zygi, Heniochoe, Gorgippi, Moſchi, Cercetae, Toretae, Arimphaei, atque, ubi in noſtra maria tractus excedit, Matiani, Tibarani, et notiora iam nomina, Medi, Armenii, Commageni, Murrani, Veneti, Cappadoces, Gallograeci, Lycaones, Phryges, Piſidae, Iſauri, Lydi, Syroci-
6 lices. Rurſus ex his, quae meridiem ſpectant, eaedem gentes interiora a litore tenent usque ad ſinum Perſicum. Super hunc ſunt Parthi et Aſſyrii: ſuper illum alterum Babylònii, et ſuper Aethiopas Aegyptii. Ripis Nili amnis et mari proxima iidem Aegyptii poſſident. Deinde Arabia anguſta fronte ſequentia litora adtingit. Ab ea usque ad flexum illum, quem ſupra retulimus, Syria, et in ipſo flexu, Cilicia: extra autem, Lycia et Pamphylia, Caria, Ionia, Aeolis, Troas usque ad Hellespontum. Ab eo Bithyni ſunt ad Thracium Bosporum. Circa Pontum aliquot populi, alio alioque fine, uno omnes nomine Pontici. Ad lacum, Maeotici: ad Tanain, Sauromatae.

CAP. III.

Brevis Europae deſcriptio.

Europa terminos habet ab oriente Tanaim, 1
et Maeotida, et Pontum; a meridie reliqua noſtri maris; ab occidente Atlanticum, a ſeptemtrione Britannicum Oceanum. Ora eius forma litorum a Tanai ad Hellespontum, qua ripa eſt dicti amnis, qua flexum paludis ad Pontum redigit, qua Propontidi et Helleſponto latere adiacet, contrariis litoribus Aſiae non obpoſita modo, verum etiam ſimilis eſt. Inde ad Fretum nunc vaſte retracta, nunc pro- 2
minens, tres maximos ſinus efficit, totidemque in altum ſe magnis frontibus evehit. Extra Fretum ad occidentem inaequalis admodum, praecipue media, procurrit: ad ſeptemtrionem, niſi ubi ſemel iterumque grandi receſſu abducitur, paene ut directo limite extenta eſt. Mare, quod primo ſinu accipit, Aegaeum 3
dicitur: quod ſequenti, in ore, Ionium: Hadriaticum, interius: quod ultimo, nos Tuſcum, Graii Tyrrhenum perhibent. Gen- 4
tium prima eſt Scythia, alia quam dicta eſt, a Tanai in media ferme Pontici lateris; hinc in Aegaei partem pertinens Thracia Macedoniae adiungitur. Tum Graecia prominet, Ae-

gaeumque ab Ionio mari dirimit. Hadriatici latus Illyris occupat. Inter ipſum Hadriaticum et Tuſcum Italia procurrit. In Tuſco intimo Gallia eſt, ultra Hiſpania. Haec in occidentem, diuque etiam ad ſeptemtrionem, diverſis frontibus vergit. Deinde rurſus Gallia eſt, longe et a noſtris litoribus huc usque permiſſa. Ab ea Germani ad Sarmatas porriguntur, illi ad Aſiam.

CAP. IV.

Brevis Africae deſcriptio.

1 Africa ab orientis parte Nilo terminata, pelago a ceteris, brevior eſt quidem, quam Europa, quia nec usquam Aſiae, et non totis huius litoribus obtenditur, longior tamen ipſa, quam latior, et, qua ad fluvium adtingit, latiſſima, utque inde procedit, ita, media praecipue, in iuga exſurgens, pergit incurva ad occaſum, faſtigatque ſe molliter: et ideo ex ſpatio paullatim adductior, ubi fini-
2 tur, ibi maxime anguſta eſt. Quantum incolitur, eximie fertilis: verum quod pleraque eius inculta, et, aut arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitim coeli terrarumque deſerta ſunt, aut infeſtantur multo ac malefico genere ani-

malium, vaſta eſt magis, quam frequens. Mare, quo cingitur, a ſeptemtrione, Libycum; a meridie, Aethiopicum; ab occidente, Atlanticum dicimus. In ea parte, quae Libyco ad- 3
iacet, proxima Nilo provincia, quam Cyrenas vocant: dein, cui totius regionis vocabulo cognomen inditum eſt, Africa. Cetera Numidae et Mauri tenent: ſed Mauri et in Atlanticum pelagus expoſiti. Ultra Nigritae ſunt et Pharuſii usque ad Aethiopas. Hi et reliqua huius et totum latus, quod meridiem ſpectat, usque in Aſiae confinia poſſident. At ſuper 4
ea, quae Libyco mari adluuntur, Libyes Aegyptii ſunt, et Leucoaethiopes, et natio frequens multiplexque Gaetuli. Deinde late vacat regio, perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab oriente Garamantas, poſt Augilas et Troglodytas, et ultimos ad occaſum Atlantas audimus. Intra (ſi credere libet) vix iam homines magisque ſemiferi, Aegipanes, et Blemyae, et Gamphaſantes, et Satyri, ſine tectis ac ſedibus paſſim vagi, habent potius terras, quam habitant.

Haec ſumma noſtri orbis, hae maximae 5
partes, hae formae gentesque partium. Nunc exactius oras ſitusque dicturo inde eſt commo-

diſſimum incipere, unde terras Noſtrum pelagus ingreditur; et ab iis potiſſimum, quae influenti dextra ſunt: deinde ſtringere litora ordine, quo iacent, peragratisque omnibus, quae mare adtingunt, legere etiam illa, quae cingit Oceanus; donec curſus incepti operis, intra extraque circumvectus Orbem, illuc, unde coeperit, redeat.

CAP. V.

Particularis Africae deſcriptio.

MAURETANIA.

1 Dictum eſt Atlanticum eſſe Oceanum, qui terras ab occidente contingeret. Hinc in Noſtrum mare pergentibus, laeva Hiſpania, Mauretania dextra eſt; primae partes, illa Europae, haec Africae. Eius orae finis Mulucha: caput atque exordium eſt promontorium, quod Graeci Ἀμπελουσίαν, Afri aliter, ſed idem ſignificante vocabulo, adpellant.
2 In eo eſt ſpecus Herculi ſacer: et ultra ſpecum Tinge, oppidum pervetus, ab Antaeo (ut ferunt) conditum. Exſtat rei ſignum, parma elephantino tergori exſecta, ingens, et ob magnitudinem nulli nunc uſuro habilis; quam

locorum accolae ab illo geſtatam pro vero habent traduntque, et inde eximie colunt. Deinde eſt mons praealtus, ei, quem ex ad- 3
verſo Hiſpania adtollit, obiectus: hunc Abylam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis utrumque. Addit fama nomini fabulam, Herculem ipſum iunctos olim perpetuo iugo diremiſſe colles, atque ita excluſum antea mole montium Oceanum, ad quae nunc inundat, admiſſum. Hinc iam mare latius funditur, ſubmotasque vaſtius terras magno impetu inflectit. Ceterum regio ignobilis, et 4
vix quidquam illuſtre ſortita, parvis oppidis habitatur, parva flumina emittit, ſolo, quam viris, melior, et ſegnitia gentis obſcura. Ex 5
iis tamen, quae commemorare non piget, montes ſunt alti, qui continenter et quaſi de induſtria in ordinem expoſiti, ob numerum ſeptem, ob ſimilitudinem Fratres nuncupantur. Tamuada fluvius, et Ruſgada, et Siga, parvae urbes; et portus, cui Magno eſt cognomen ob ſpatium. Mulucha ille, quem diximus, amnis eſt, nunc gentium, olim regnorum quoque terminus, Bocchi Iugurthaeque.

CAP. VI.

NUMIDIA.

1 Ab eo Numidia ad ripas expoſita fluminis Ampſaci, ſpatio quidem, quam Mauretania, anguſtior eſt, verum et culta magis et ditior. Urbium, quas habet, maximae ſunt, Cirta procul a mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus; et, Syphacis cum foret, opulentiſſima. Iol ad mare, aliquando ignobilis; nunc, quia Iubae regia fuit, et, quod Caeſarea vocitatur, illuſtris. Citra hanc (nam in medio ferme litore ſita eſt) Cartinna et Arſinna ſunt oppida, et Quiza caſtellum, et Laturus ſinus, et Sardabale fluvius. Ultra, Monumentum commune regiae gentis; deinde Icoſium et Ruthiſia urbes, et fluentes inter eas Savus et Nabar, aliaque, quae taceri nul-
2 lum rerum famaeve dispendium eſt. Interius, et longe ſatis a litore (ſi fidem res capit) mirum ad modum, ſpinae piſcium, muricum oſtrearumque fragmenta, ſaxa adtrita (uti ſolent) fluctibus, et non differentia marinis, infixae cautibus ancorae, et alia eiusmodi ſigna atque veſtigia effuſi olim usque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus eſſe invenirique narrantur.

CAP. VII.

Africa proprie dicta.

Regio, quae ſequitur a promontorio Me- 1
tagonio ad aras Philaenorum, proprie nomen Africae uſurpat. In ea ſunt oppida, Hippo Regius, et Ruſicade, et Thabraca. Dein tria 2
promontoria, Candidum, Apollinis, Mercurii, vaſte proiecta in altum, duos grandes ſinus efficiunt. Hipponenſem vocant proximum ab Hippone Diarrhyto, quod litori eius adpoſitum eſt. In altero ſunt caſtra Laelia, caſtra Cornelia, flumen Bagrada, urbes Utica et Carthago, ambae inclutae, ambae a Phoenicibus conditae: illa fato Catonis inſignis, haec ſuo; nunc populi Romani colonia, olim imperii eius pertinax aemula; iam quidem iterum opulenta, etiam nunc tamen priorum excidio rerum, quam ope praeſentium clarior. Hadrumetum, Leptis, Clupea, Macomades, Thenae, Neapolis hinc ad Syrtim adiacent, ut inter ignobilia celeberrimae. Syrtis ſinus 3
eſt centum fere millia paſſuum, qua mare accipit, patens; trecenta, qua cingit: verum importuoſus atque atrox, et ob vadorum frequentium brevia, magisque etiam ob alternos motus pelagi adfluentis ac refluentis infeſtus.

4 Super hunc ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: unde et Minervae cognomen inditum eſt, ut incolae arbitrantur, ibi genitae: faciuntque ei fabulae aliquam fidem, quod, quem natalem eius putant, ludicris vir-
5 ginum inter ſe decertantium celebrant. Ultra eſt Oea oppidum, et Cinyps fluvius per uberrima arva decidens: tum Leptis altera et Syrtis, nomine atque ingenio par priori; ceterum altero fere ſpatio, qua dehiſcit, quaque flexum agit, amplior. Eius promontorium eſt Borion, ab eoque incipiens ora, quam Lotophagi tenuiſſe dicuntur, usque ad Phycunta (et id promontorium eſt) importuoſo litore pertinet
6 Arae ipſae nomen ex Philaenis fratribus traxere, qui contra Cyrenaicos miſſi Carthagine ad dirimendum conditione bellum, diu iam de finibus, et cum magnis amborum cladibus geſtum; poſtquam in eo, quod convenerat, non manebatur, ut, ubi legati concurrerent, certo tempore utrimque dimiſſi, ibi termini ſtatuerentur; pacti de integro, ut, quidquid citra eſſet, popularibus cederet (mirum et memoria digniſſimum facinus!) hic ſe vivos obrui pertulerunt.

CAP. VIII.

Cyrenaica.

Inde ad Catabathmon Cyrenaica provincia 1
eſt; in eaque ſunt, Hammonis oraculum, fidei inclutae: et fons, quem Solis appellant: et rupes quaedam Auſtro ſacra. Haec cum hominum manu adtingitur, ille immodicus exſurgit, arenasque quaſi maria agens, ſic ſaevit, ut fluctibus. Fons media nocte fervet, mox et paullatim tepeſcens, ſit luce frigidus; tunc ut ſol ſurgit, ita ſubinde frigidior, per meridiem maxime riget: ſumit dein tepóres iterum; et prima nocte calidus, atque, ut illa procedit, ita calidior, rurſus cum eſt media, perfervet. In litore promontoria ſunt Zephy- 2
rion et Nauſtathmos, portus Paraetonius, urbes Heſperia, Apollonia, Ptolemais, Arſinoë, atque (unde terris nomen eſt) ipſa Cyrene. Catabathmos, vallis devexa in Aegyptum, finit Africam. Orae ſic habitantur, ad noſtrum 3
maxime ritum moratis cultoribus, niſi quod quidam linguis differunt, et cultu Deum, quos patrios ſervant, ac patrio more venerantur. Proximis nullae quidem urbes ſtant, tamen domicilia ſunt, quae mapalia adpellantur. Victus aſper et munditiis carens. Primores

ſagis velantur; vulgus beſtiarum pecudumque pellibus. Humi quies epulaeque capiuntur. Vaſa ligno fiunt, aut cortice. Potus eſt lac ſuccusque baccarum. Cibus eſt caro, plurimum ferina: nam gregibus, (quia id ſolum
4 opimum eſt) quod poteſt, parcitur. Interiores etiam incultius, ſequuntur vagi pecora: utque a pabulo ducta ſunt, ita ſe ac tuguria ſua promovent: atque, ubi dies deficit, ibi noctem agunt. Quanquam, in familias paſſim et ſine lege diſperſi, nihil in commune conſultant: tamen, quia ſingulis aliquot ſimul coniuges, et plures ob id liberi agnatique ſunt,
5 nusquam pauci. Ex his, qui ultra deſerta eſſe memorantur, Atlantes ſolem exſecrantur, et dum oritur, et dum occidit, ut ipſis agrisque peſtiferum. Nomina ſinguli non habent: non veſcuntur animalibus: neque illis in quiete, qualia ceteris mortalibus, viſere datur.
6 Troglodytae, nullarum opum domini, ſtridٍent magis, quam loquuntur, ſpecus ſubeunt,
7 alunturque ſerpentibus. Apud Garamantas etiam armenta ſunt, eaque obliqua cervice paſcuntur; nam pronis directa in humum cornua officiunt. Nulli certa uxor eſt. Ex his, qui tam confuſo parentum coitu paſſim incertique naſcuntur, quos pro ſuis colant,

formae ſimilitudine agnoſcunt. Augilae ma- 8
nes tantum Deos putant; per eos deierant;
eos, ut oracula, conſulunt: precatique, quae
volunt, ubi tumulis incubuere, pro reſponſis
ferunt ſomnia. Feminis eorum ſolemne eſt,
nocte, qua nubunt, omnium ſtupro patere,
qui cum munere advenerint: et tum, cum
plurimis concubuiſſe, maximum decus; in re-
liquum pudicitia inſignis eſt. Nudi ſunt 9
Gamphaſantes, armorumque omnium ignari:
nec vitare ſciunt tela, nec iacere: ideoque
obvios fugiunt, neque aliorum, quam quibus
idem ingenii eſt, aut congreſſus, aut collo-
quia patiuntur. Blemyis capita abſunt, vul- 10
tus in pectore eſt: Satyris, praeter effigiem,
nihil humani. Aegipanum, quae celebratur,
ea forma eſt. Haec de Africa.

CAP. IX.

Particularis Aſiae deſcriptio.

AEGYPTUS.

Aſiae prima pars Aegyptus inter Catabath- 1
mon et Arabas; ab hoc litore penitus immiſſa,
donec Aethiopiam dorſo contingat, ad meri-
diem refugit. Terra expers imbrium, mire

tamen fertilis, et hominum aliorumque animalium perfecunda generatrix. Nilus efficit, amnium, in Noſtrum mare permeantium, maxi-
2 mus. Hic ex deſertis Africae miſſus, nec ſtatim navigari facilis, nec ſtatim Nilus eſt: et cum diu ſimplex ſaevusque deſcendit, circa Meroën, late patentem inſulam, in Aethiopiam diffunditur, alteraque parte Aſtabores, altera Aſtape dictus eſt. Ubi rurſus coit, ibi nomen hoc capit. Inde partim aſper, partim navigia patiens, in immanem lacum devenit: ex quo praecipiti impetu egreſſus, et Tachompſo, alteram inſulam, amplexus, usque ad Elephantinen, urbem Aegyptiam, atrox adhuc fervensque decurrit. Tum demum placidior et iam bene navigabilis, primum iuxta Cercaſorum oppidum triplex eſſe incipit. Deinde iterum iterumque diviſus ad Delta et ad Melin, it per omnem Aegyptum vagus atque diſperſus: ſeptemque in ora ſe ſcindens, ſin-
3 gulis tamen grandis, evolvitur. Non pererrat autem tantum eam, ſed aeſtivo fidere exundans etiam irrigat, adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut praeter id, quod ſcatet piſcibus, quod hippopotamos crocodilosque, vaſtas belluas, gignit, glebis etiam infundat animas, ex ipſaque humo vitalia

effingat. Hoc eo manifeſtum eſt, quod, ubi ſedavit diluvia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, ſed tunc primum accipientia ſpiritum, et ex parte iam formata, ex parte adhuc terrena, viſuntur. Creſcit porro, ſive quod 4
ſolutae magnis aeſtibus nives, ex immanibus Aethiopiae iugis, largius, quam ripis accipi queant, defluunt: ſive quod ſol hieme terris propior, et ob id fontem eius minuens, tunc altius abit, ſinitque integrum, et ut eſt pleniſſimus, ſurgere: ſive quod per ea tempora flantes Eteſiae, aut actas a ſeptemtrione in meridiem nubes ſuper principia eius imbre praecipitant; aut venienti obvii adverſo ſpiritu curſum deſcendentis impediunt, aut arenis, quas cum fluctibus litori adplicant, oſtia obducunt: ſitque maior, vel quod nihil ex ſemet amittit; vel quod plus, quam ſolet, accipit; vel quod minus, quam debet, emittit. Quod ſi eſt alter Orbis, ſuntque obpoſiti nobis a meridie Antichthones; ne illud quidem a vero nimium abceſſerit, in illis terris ortum amnem, ubi ſubter maria caeco alveo penetraverit, in Noſtris rurſus emergere, et hac re ſolſtitio accreſcere, quod tunc hiems ſit, unde oritur. Alia quoque in his terris mira 5

ſunt. In quodam lacu Chemmis inſula, lucos ſilvasque et Apollinis grande ſuſtinens templum, natat, et, quocunque venti agunt, pellitur. Pyramides tricenum pedum lapidibus exſtructae; quarum maxima (tres namque ſunt) quatuor fere ſoli iugera ſua ſede occupat, totidem in altitudinem erigitur. Moeris, aliquando campus, nunc lacus, viginti milia paſſuum in circuitum patens, altior, quam ad navigandum magnis onuſtisque navibus ſatis eſt. Pſammetichi opus Labyrinthus, domos *ter* mile et regias duodecim pepetuo parietis ambitu amplexus, marmore exſtructus ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intus paene innumerabiles vias, multis ambagibus huc et illuc remeantibus, ſed continuo amfractu, et ſaepe revocatis porticibus ancipites: quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, et ſubinde tantum redeunte flexu, quantum proceſſerat, magno et explicabili ta-
6 men errore perplexus eſt. Cultores regionum multo aliter a ceteris agunt. Mortuos limo obliti plangunt: nec cremare, aut fodere fas putant, verum arte medicatos intra penetralia collocant. Suis literis perverſe utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus ſubigunt. Forum ac negotia feminae, viri penſa ac

domos curant; onera illae humeris, hi capitibus accipiunt: parentes cum egent, illis neceſſe eſt, his liberum alere. Cibos palam et extra tecta ſua capiunt: obſcoena intimis aedium reddunt. Colunt effigies multorum 7
animalium, atque ipſa magis animalia: ſed alii alia: adeo ut quaedam eorum, etiam per imprudentiam, interemiſſe, capital ſit: et, ubi morbo aut forte exſtincta ſint, ſepelire ac lugere ſolenne ſit. Apis populorum omnium numen eſt; bos niger, certis maculis inſignis, et cauda linguaque diſſimilis aliorum. Raro naſcitur, nec coitu pecudis, (ut aiunt) ſed divinitus et coeleſti igne conceptus; diesque, quo gignitur, genti maxime feſtus eſt. Ipſi 8
vetuſtiſſimi (ut praedicant) hominum, trecentos et triginta reges ante Amaſin, et ſupra tredecim milium annorum aetates, certis annalibus referunt, mandatumque literis ſervant, dum Aegyptii ſunt, quater curſus ſuos vertiſſe ſidera, ac ſolem bis iam occidiſſe, unde nunc oritur. Viginti milia urbium 9
Amaſi regnante habitarunt, et nunc multas habitant. Earum clariſſimae, procul a mari, Sais, Memphis, Syene, Bubaſtis, Elephantine, et Thebae, uti quae (ut Homeri dictum eſt) centum portas, ſive (ut alii aiunt) centum

aulas habent, totidem olim principum domos, ſolitasque ſingulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum milia effundere: in litore Alexandria Africae contermina, Peluſium Arabiae. Ipſas oras ſecant Canopicum, Bolbiticum, Sebennyticum, Pathmeticum, Mendeſium, Cataptyſtum, Peluſiacum, Nili oſtia.

CAP. X.

ARABIA.

Arabia hinc ad Rubrum mare pertinet; ſed illic magis laeta et ditior, ture atque odoribus abundat: hic, niſi qua Caſio monte adtollitur, plana et ſterilis, portum admittit Azotum, ſuarum mercium emporium; qua in altum abit, adeo edita, ut ex ſummo vertice a quarta vigilia ortum ſolis oſtendat.

CAP. XI.

SYRIA.

1 Syria late litora tenet, terrasque etiam, latius introrſus, aliis aliisque nuncupata nominibus; nam et Coele dicitur, et Meſopotamia, et Damascene, et Adiabene, et Baby-

lonia, et Iudaea, et Commagene. Hic Pa- 2
laeſtine eſt, qua tangit Arabas: tum Phoe-
nice; et ubi ſe Ciliciae committit, Antiochia;
olim ac diu potens, ſed cum eam regno Se-
miramis tenuit, longe potentiſſima. Operibus
certe eius inſignia multa ſunt: duo maxime
excellunt; conſtituta urbs mirae magnitudi-
nis Babylon, ac ſiccis olim regionibus Eu-
phrates et Tigris immiſſi. Ceterum in Palae- 3
ſtina eſt ingens et munita admodum Gaza;
(ſic Perſae aerarium vocant: et inde nomen
eſt, quod, cum Cambyſes armis Aegyptum
peteret, huc belli et opes et pecuniam intu-
lerat,) eſt non minor Aſcalon; eſt Iope, ante
diluvium (ut ferunt) condita; ubi Cephea
regnaſſe eo ſigno accolae affirmant, quod titu-
lum eius, fratrisque Phinei, veteres quae-
dam arae cum religione plurima retinent:
quin etiam rei celebratae carminibus ac fa-
bulis, ſervatae a Perſeo Andromedae clarum
veſtigium marinae belluae oſſa immania
oſtentant.

CAP. XII.

PHOENICE.

1 Phoenicen illuſtravere Phoenices, ſollers hominum genus, et ad belli pacisque munia eximium: literas et literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum prae-
2 liumque commenti. In ea eſt Tyros, aliquando inſula, nunc adnexa terris deficit, quod ab impugnante quondam Alexandro iacta opera vici tenent. Ulterior et adhuc opulenta Sidon, antequam a Perſis caperetur,
3 maritimarum urbium maxima. Ab ea ad promontorium Euproſopon duo ſunt oppida, Byblos et Botrys: ultra tria fuerunt, ſingulis inter ſe ſtadiis diſtantia; locus ex numero Tripolis dicitur: tum Simyra caſtellum, et
4 urbs non obſcura Marathos. Inde iam non obliqua pelago, ſed adverſa adiacens Aſia, grandem ſinum inflexo tractu litoris accipit. Populi dites circumſident; ſitus efficit: quia regio fertilis crebris et navigabilibus alveis fluminum pervia, diverſas opes maris atque terrarum facili commercio permutat ac miſcet.
5 In eo prima eſt reliqua pars Syriae, cui Antiochiae cognomen additur: et in ora eius

urbes, Seleucia, Paltos, Berytos, Laodicea, Rhoſos; amnesque, qui inter eas eunt, Lycos, et Baudos, et Orontes: tum mons Amanus, et ab eo ſtatim Myriandros et Cilices.

CAP. XIII.

CILICIA.

At in receſſu intimo locus eſt magni ali- 1
quando discriminis, fuſorum ab Alexandro Perſarum fugientisque Darii ſpectator ac teſtis: nunc ne minima quidem, tunc ingenti urbe celebris Iſſo fuit; et hac re ſinus Iſſicus dicitur. Procul inde Ammodes promontorium inter Pyramum Cydnumque fluvios iacet. Pyramus Iſſo propior Mallon praeterfluit: Cydnus ultra per Tarſum exit. Deinde 2
urbs eſt olim a Rhodiis Argivisque, poſt piratis, Pompeio adſignante, poſſeſſa; nunc Pompeiopolis, tunc Soloë: iuxta in parvo tumulo Arati poëtae monumentum; ideo referendum, quia ignotum, quam ob cauſam iacta in id ſaxa diſſiliant. Non longe hinc Corycos oppidum portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti adnexum. Supra 3
Specus eſt, nomine Corycius, ſingulari ingenio, ac, ſupra quam ut deſcribi facile poſſit,

eximius. Grandi namque hiatu patens, montem litori adpoſitum, et decem ſtadiorum clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc alte demiſſus, et quantum demittitur, amplior, viret lucis pendentibus undique, et totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo adſpectu conſternat; ubi contemplari duravere, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum et mile paſſuum, per amoenas umbras et opaca ſilvae quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus. Ubi ad ima perventum eſt, rurſum Specus alter aperitur, ob alia dicendus. Terret ingredientes ſonitu cymbalorum, divinitus et magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perſpicuus, mox, et quo magis ſubitur, obſcurior, ducit auſos penitus, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fonte ſe extollens, tantummodo ſe oſtendit, et, ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demerſus abſconditur. Intra ſpatium eſt, magis, quam ut progredi quiſpiam auſit, horribile, et ideo incognitum. Totus autem auguſtus et vere ſacer, habitarique a Diis et dignus et creditus, nihil non

venerabile, et quaſi cum aliquo numine ſe oſtentat. Alius ultra eſt, quem Typhoneum 4
vocant, ore anguſto, et multum (ut experti tradidere) preſſus, et ob id adſidua nocte ſubfuſus, neque unquam perſpici facilis: ſed, quia aliquando cubile Typhonis fuit, et quia nunc demiſſa in ſe confeſtim exanimat, natura fabulaque memorandus. Duo deinde promontoria ſunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis, et quod Ciliciam a Pamphylia diſtinguit, Anemurium: interque ea Celenderis et Nagidos, Samiorum coloniae; ſed Celenderis Sarpedoni propior.

CAP. XIV.

PAMPHYLIA.

In Pamphylia eſt Melas, navigabilis flu- 1
vius; oppidum Sida; alter fluvius Eurymedon. Magna apud eum Cimonis, Athenienſium ducis, adverſus Phoenicas et Perſas navalis pugna atque victoria fuit. Mare, quo pugnatum eſt, ex edito admodum colle proſpectat Aſpendos, quam Argivi condiderant, poſſedere finitimi. Deinde alii duo validiſſimi 2
fluvii, Ceſtros et Catarrhactes: Ceſtros navigari facilis; hic, quia ſe praecipitat, ita dictus.

Inter eos Perga eſt oppidum, et Dianae, quam ab oppido Pergaeam vocant, templum. Trans eosdem mons Sardemiſos, et Phaſelis, a Mopſo condita, finis Pamphyliae.

CAP. XV.

LYCIA.

1 Lycia continuo, cognominata a Lyco rege, Pandionis filio, atque (ut ferunt) infeſtata olim Chimaerae ignibus, Sidae portu et Tauri 2 promontorio grandem ſinum claudit. Taurus ipſe ab Eois litoribus exſurgens, vaſte ſatis adtollitur: dein dextro latere ad ſeptemtrionem, ſiniſtro ad meridiem verſus, it in occidentem rectus et perpetuo iugo; magnarumque gentium, qua dorſum agit, terminus, ubi terras diremit, exit in pelagus. Idem autem, et totus ut dictus eſt, dicitur etiam, qua ſpectat orientem: deinde Hemodes, et Caucaſus, et Paropamiſus, tum Caſpiae pylae, Niphates, Armeniae pylae, et, ubi iam Noſtra 3 maria contingit, Taurus iterum. Poſt eius promontorium flumen eſt Limyra, et eodem nomine civitas: atque ut multa oppida, ſic praeter Pataram non illuſtria. Illam nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus

et oraculi fide Delphico ſimile. Ultra eſt Xanthus flumen, et Xanthos oppidum, mons Cragus, et, quae Lyciam finit, urbs Telmeſſos.

CAP. XVI.

CARIA.

Caria ſequitur. Habitant incertae originis, 1
(alii indigenas, ſunt qui Pelasgos, quidam Cretas exiſtimant) genus usque eo quondam armorum pugnaeque amans, ut aliena etiam bella mercedibus agerent. Hic caſtella ſunt aliquot: dein promontoria duo, Pedalion et Crya, et ſecundum Calbim amnem Caunus oppidum valetudine habitantium infame. Inde ad Halicarnaſſon haec iacent: Rhodio- 2
rum aliquot coloniae; portus duo, Gelos, et, cui ex urbe, quam amplectitur, Tiſanuſa cognomen eſt; inter eos oppidum Larumna, et Pandion collis, in mare emiſſus: tum tres ex ordine ſinus, Tymnias, Schoenus, Bubaſſius; Tymniae promontorium Aphrodiſium eſt, Schoenus ambit Hylam, Bubaſſius Cyon. Tum Cnidus in cornu paene inſulae, interque eam et Ceramicum ſinum in receſſu poſita Euthanae. Halicarnaſſos Argivorum colonia eſt,

et cur memoranda ſit, praeter conditores, Mauſoleum efficit, regis Mauſoli monumentum, unum de miraculis ſeptem, Artemiſiae opus. Trans Halicarnaſſon illa ſunt: litus Leuca, urbes Myndos, Caryanda, Neapolis, ſinus Iaſius et Baſilicus. In Iaſio eſt Bargylos.

CAP. XVII.

IONIA.

1 Poſt Baſilicum Ionia aliquot ſe ambagibus ſinuat: et primum a Poſideo promontorio flexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc Didymei; Miletum, urbem quondam Ioniae totius belli pacisque artibus principem, patriam Thaletis aſtrologi, et Timothei muſici, et Anaximandri phyſici, aliorumque civium inclutis ingeniis merito inclutam, ubicunque Ioniam vocant: urbem Hippum, amnis Maeandri exitu; Latmum montem, Endymionis, a Luna
2 (ut ferunt) adamati, fabula nobilem. Dein rurſus inflexa cingit urbem Prienen, et Gaeſi fluminis oſtium: moxque ut maiore circuitu, ita plura complectitur. Ibi eſt Panionium, ſacra regio, et ob id eo nomine adpellata, quod eam communiter Iones colunt: ibi a

fugitivis, ut aiunt, condita (nomen famae adnuit) Phygela: ibi Epheſus, et Dianae clariſſimum templum, quod Amazones, Aſia potitae, conſecraſſe traduntur: ibi Cayſtros amnis: ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto, Tireſiae filia, fugiens victores Thebanorum Epigonos; et Colophon, quam Mopſus, eiusdem Mantus filius, ſtatuit. At promontorium, quo ſinus clauditur, quod 3
altera parte alium, quem Smyrnaeum vocant, efficit, anguſtisque cervicibus reliqua extendit in latius, abit in paene inſulae faciem. Super anguſtias, hinc Teos, illinc Clazomenae, qua terga agunt, confinio adnexae muri, diverſis frontibus diverſa maria proſpectant. In ipſa paene inſula eſt Coryna. In ſinu Smyrnaeo eſt Hermus amnis, et urbs Leuca: extra Phocaea, Ioniae ultima.

CAP. XVIII.

AEOLIS.

Proxima regio, ex quo ab Aeoliis incoli 1
coepit, Aeolis facta, ante Myſia, et, qua Hellespontum adtingit, Troianis poſſidentibus, Troas fuit. Primam urbium a Myrino conditore Myrinam vocant: ſequentem Pelops

ſtatuit, victo Oenomao reverſus ex Graecia; Cymen nominavit, pulſis, qui habitarant, dux Amazonum Cyme. Supra Caicus inter Elaeam decurrit et Pitanen, illam, quae Arceſilan tulit, nihil adfirmantis Academiae clariſſimum anti-
2 ſtitem. Tum in promontorio eſt Cana oppidum: quod praetervectos ſinus excipit, non pronus, ſed longe ac molliter flexus, retrahensque paullatim oras usque ad ima montis Idae. Is primo parvis urbibus adſperſus eſt, quarum clariſſima eſt Ciſthena. Gremio interiore campus, Thebe nomine, Adramytion, Aſtyra, Chryſam, oppida, eodem, quo dicta ſunt, ordine adiacentia, continet; in altero latere Antandrum. Duplex cauſa nominis iactatur. Alii Aſcanium, Aeneae filium, cum ibi regnaret, captum a Pelasgis, ea ſe redemiſſe commemorant: alii ab his putant conditam, quos ex Andro inſula vis et ſeditio exegerat. Hinc hi Antandrum, quaſi pro
3 Andro, illi quaſi pro viro accipi volunt. Sequens tractus tangit Gargara et Aſſon, Aeoliorum colonias. Tum ſinus alter, Ἀχαιῶν λιμήν, non longe ab Ilio litora incurvat, urbe bello excidioque clariſſima. Hic Sigeum fuit oppidum; hic Achivorum fuit bellantium ſtatio. Huc ab Idaeo monte demiſſus Scamander exit,

et Simois, fama, quam natura, maiora flumina. Ipſe mons vetere Divarum certamine 4
et iudicio Paridis memoratus, orientem ſolem aliter, quam in aliis terris ſolet adſpici, oſtentat. Namque ex ſummo vertice eius ſpeculantibus, paene a media nocte ſpargi ignes paſſimque micare, et, ut lux adpropinquat, ita coire ac ſe coniungere videntur, donec magis magisque collecti, pauciores ſubinde et una ad poſtremum flamma ardeant. Ea cum diu clara et incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, et fit ingens globus. Diu is quoque grandis et terris adnexus adparet: deinde paullatim decreſcens, et quanto decreſcit, eo clarior fugat noviſſime noctem, et cum die iam ſol factus, adtollitur. Extra 5
ſinum ſunt Rhoetea litora, Rhoeteo et Dardania claris urbibus; Aiacis tamen ſepulcro maxime illuſtria. Ab his fit artius mare, nec iam adluit terras, ſed rurſus dividens, anguſto Hellesponti freto litus obvium findit, facitque, ut iterum terrae, qua fluit, latera ſint.

CAP. XIX.

Bithynia, Paphlagonia, aliaeque Ponticae et Maeoticae gentes in ora Aſiatica.

1 Interius Bithyni ſunt et Mariandyni: in ora Graiae urbes, Abydos, et Lampſacum, et Parion, et Priapos. Abydos magni quondam amoris commercio inſignis eſt. Lampſacum, Phocaeis adpellantibus, nomen ex eo traxit, quod conſulentibus, in quasnam terras potiſſimum tenderent, reſponſum erat, ubi pri-
2 mum fulſiſſet, ibi ſedem capeſſere. Tum rurſus fit apertius mare, Propontis. In id Granicus effunditur, qua primum inter Perſas et Alexandrum pugna fuit nobilis. Trans amnem ſedet in cervice paene inſulae Cyzicum: nomen Cyzicus indidit, quem a Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fuſum acie caeſumque accepimus: poſt Placia et Scylace, parvae Pelasgorum coloniae, quibus a tergo imminet mons Olympus (ut incolae
3 vocant) Myſius. Is flumen Rhyndacum in ea, quae ſequuntur, emittit. Circa angues naſcuntur immanes; neque ob magnitudinem modo, ſed ob id etiam mirabiles, quod, ubi in alveum eius aeſtus ſolemque fugerunt, emergunt atque hiant, ſupervolantesque aves,

quamvis alte et perniciter ferantur, abſorbent. Trans Rhyndacum eſt Daſcylos, et, quam Colophonii collocavere, Myrlea. Duo ſunt 4
inde modici ſinus. Alter ſine nomine Cion amplectitur, Phrygiae haud longe iacentis obportuniſſimum emporium: alter Olbianos in promontorio fert Neptuni fanum, in gremio Aſtacon, a Megarenſibus conditam. De- 5
inde propiores terrae iterum iacent, exiturique in Pontum pelagi canalis anguſtior Europam ab Aſia ſtadiis quinque diſterminat, Thracius (ut dictum eſt) Bosporus. Ipſis in faucibus oppidum, in ore templum eſt: oppidi nomen Calchedon, auctor Archias, Megarenſium princeps; templi numen Iupiter, conditor Iaſo. Hic iam ſeſe ingens Pontus 6
aperit: niſi qua promontoria ſunt, huc atque illuc longo rectoque limite extentus, ſinuatus cetera, ſed quia contra minus, quam ad laevam et dextram abſcedit, mollibusque faſtigiis, donec anguſtos utrimque angulos faciat, inflectitur, ad formam Scythici arcus maxime incurvus: brevis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli neque arenoſo circumdatus litore, vicinus aquilonibus, et, quia non profundus eſt, fluctuoſus atque fervens: olim ex colentium ſaevo admodum ingenio

Axenus, poſt commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus. 7 In eo primum Mariandyni urbem habitant, ab Argivo (ut ferunt) Hercule datam. Heraclea vocitatur: id famae fidem adiicit. Iuxta ſpecus eſt, Acheruſia, ad Manes (ut aiunt) pervius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant. 8 Tum Tios oppidum, Mileſiorum quondam colonia, ſed iam ſoli gentisque Paphlagonum: quorum in litoribus paene mediis promontorium eſt Carambis; citra Parthenius amnis, urbesque Seſamus et Cromnos, et a Cytiſoro, Phrixi filio, poſita Cytoros; tum Cinolis, Anticinolis, et, quae Paphlagoniam finit, Armene. 9 Chalybes proximi clariſſimas habent Amiſon et Sinopen, Cynici Diogenis patriam, amnes Halyn et Thermodonta. Secundum Halyn urbs eſt Lycaſto: ad Thermodonta campus. In eo fuit Themiſcyrium oppidum: fuere et Amazonum caſtra; 10 ideo Amazonium vocant. Tibareni Chalybas adtingunt, quibus in luſu riſuque ſummum bonum eſt. Ultra [Carambin] Moſyni turres ligneas ſubeunt, notis corpus omne perſignant, propatulo veſcuntur, promiſce concumbunt et palam: reges ſuffragio deligunt, vinculisque et artiſſima caſtodia tenent, atque,

ubi culpam prave quid imperando meruere, inedia diei totius adficiunt: ceterum aſperi, inculti, pernoxii adpulſis. Dein minus feri 11
(verum et hi inconditis moribus) Macrocephali, Becheri, Buzeri: rarae urbes; Ceraſus et Trapezus maxime illuſtres. Inde is locus 12
eſt, ubi finem ductus a Bosporo tractus accipit; atque inde ſe in ſinu adverſi litoris flexus adtollens anguſtiſſimum Ponti facit angulum. Hic ſunt Colchi; huc Phaſis erumpit; hic eodem nomine, quo amnis eſt, a Themiſtagora Mileſio deductum oppidum, hic Phrixi templum, et lucus, fabula vetere pellis aureae nobilis. Hinc orti montes longo ſe iugo, et 13
donec Rhipaeis coniungantur, exporrigunt: qui altera parte in Euxinum et Maeotida et Tanain, altera in Caſpium pelagus obverſi, Ceraunii dicuntur: iidem aliubi Taurici, Moſchici, Amazonici, Caſpii, Coraxici, Caucaſii; ut aliis aliisve adpoſiti gentibus, ita aliis aliisque dicti nominibus. At in primo 14
flexu iam curvi litoris oppidum eſt, quod Graeci mercatores conſtituiſſe, et (quia, cum caeca tempeſtate agerentur, ignaris, quae terra eſſet, cycni vox notam dederat) Cycnum adpellaſſe dicuntur. Reliqua eius ferae incultaeque gentes, vaſto mari adſidentes, tenent,

Melanchlaeni, Serri, Siraces, Colici, Coraxi, Phthirophagi, Heniochi, Achaei, Cercetici, et iam in confinio Maeotidis Sindones. In Heniochorum finibus Dioſcorias, a Caſtore et Polluce, Pontum cum Iaſone ingreſſis; Sindos in Sindonum ab ipſis terrarum cultoribus condita eſt. Obliqua tunc regio, et in latum modice patens, inter Pontum Paludemque ad Bosporum excurrit: quam duobus alveis in lacum et in mare profluens Corocondame paene inſulam reddit. Quatuor urbes ibi ſunt, Hermonaſſa, Cepoe, Phanagoria, et in ipſo ore, Cimmerium. Hac ingreſſos Lacus accipit, longe lateque diffuſus: qua terras tangit, incurvo circumdatus litore; qua mari propior eſt, (niſi ubi aperitur) aequali margine obductus, citra magnitudinem, prope Ponto ſimilis. Oram, quae a Bosporo ad Tanaim usque deflectitur, Maeotici incolunt, Toretae, Arrechi, Phicores, et oſtio fluminis proximi Ixamatae. Apud eos easdem artes feminae, quas viri, exercent, adeo ut ne militia quidem vacent. Viri pedibus merent, ſagittisque depugnant: illae equeſtre proelium ineunt, nec ferro dimicant, ſed, quos laqueis intercepere, trahendo conficiunt. Nubunt tamen, verum ut nubiles habeantur,

non in aetate modus eſt; niſi quae hoſtem interemere, virgines manent. Ipſe Tanais, 18
ex Rhipaeo monte deiectus, adeo praeceps ruit, ut, cum vicina flumina, tum Maeotis et Bosporus, tum Ponti aliqua brumali rigore durentur, ſolus aeſtus hiememque iuxta ferens, idem ſemper et ſui ſimilis incitatusque decurrat. Ripas eius Sauromatae et ripis 19
haerentia poſſident: una gens, aliquot populi, et aliquot nomina. Primi Maeotidae γυναικοκρατούμενοι, regna Amazonum, fecundos pabulo, at alia ſteriles nudosque campos tenent. Budini Gelonon, urbem ligneam, habitant. Iuxta Thyſſagetae Iyrcaeque vaſtas ſilvas occupant, aluntur que venando. Tum continuis 20
rupibus late aſpera et deſerta regio ad Arimphaeos usque permittitur. His iuſtiſſimi mores; nemora pro domibus; alimenta baccae; et feminis et maribus nuda ſunt capita. Sacri itaque habentur, adeoque ipſos nemo de tam feris gentibus violat, ut aliis quoque ad eos confugiſſe pro aſylo ſit. Ultra ſurgit mons Rhipaeus, ultraque eum iacet ora, quae ſpectat Oceanum.

POMPONII MELAE
DE
SITU ORBIS
LIBER II.

CAP. I.
Scythia Europaea.

1 Aſiae in Noſtrum mare Tanaimque vergentis, quem dixi, finis ac ſitus eſt. At per eundem amnem in Maeotida remeantibus, ad dextram Europe eſt, modo ſiniſtro latere innavigantium adpoſita. Rhipaeis montibus proxima (et huc enim pertinent) cadentes adſidue nives adeo invia efficiunt, ut ultra ne viſum quidem incedentium admittant. Deinde eſt regio ditis admodum ſoli, inhabitabilis tamen: quia Gryphi, ſaevum et pertinax ferarum genus, aurum, terra penitus egeſtum, mire amant mireque cuſtodiunt, et ſunt infeſti ad-
2 tingentibus. Hominum primi ſunt Scythae

Scytharumque, quis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpoe: ab eis Eſſedones usque ad Maeotida. Huius flexum Buces amnis ſecat: Agathyrſi et Sauromatae ambiunt; quia pro ſedibus plauſtra habent, dicti Hamaxobioe. Obliqua tunc ad Bosporum plaga excurrens, Ponto ac Maeotide includitur. In paludem 3 vergentia Satarchae tenent: in Bosporum Cimmerica oppida, Myrmecion, Panticapaeon, Theodoſia, Hermiſium: in Euxinum mare, Taurici. Super eos ſinus portuoſus, et ideo Καλὸς λιμὴν appellatus, promontoriis duobus includitur. Alterum Κριοῦ μέτωπον vocant, Carambico, quod in Aſia diximus, par et adverſum: Parthenion alterum. Oppidum adiacet Cherrone, a Diana (ſic creditur) conditum, et Nymphaeo ſpecu, quod in arce eius Nymphis ſacratum eſt, maxime illuſtre. Subit 4 tum ripam mare, et donec quinque milium ſpatio abſit a Maeotide, refugientia usque ſubſequens litora, quoad Satarchae et Taurici tenent, paene inſulam reddit. Quod inter paludem et ſinum eſt, Taphrae nominatur: ſinus Carcinites. In eo urbs eſt Carcine: quam duo flumina, Gerrhos et Hypacaris, uno oſtio effluentia, adtingunt; verum diverſis fontibus, et aliunde delapſa. Nam Gerrhos

inter Basilidas et Nomadas, *Hypacaris per*
5 *Nomadas* evolvitur. Silvae deinde sunt, quas maximas hae terrae ferunt, et Panticapes, qui Nomadas Georgosque disterminat. Terra tum longe distenta excedens, tenui radice litori adnectitur: post spatiosa modice, paullatim se ipsa fastigat, et quasi in mucronem longa colligens latera, facie positi ensis adlecta est. Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, et, cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur. Ideo
6 dicta est δρόμος Ἀχίλλειος. Tum Borysthenes gentem sui nominis adluit, inter Scythiae amnes amoenissimus: turbidis aliis, liquidissimus defluit, placidior, quam ceteri, potarique pulcherrimus. Alit laetissima pabula magnosque pisces, quibus et optimus sapor et nulla ossa sunt. Longe venit, ignotisque ortus e fontibus, quadraginta dierum iter alveo stringit: tantoque spatio navigabilis, secundum Borysthenida et Olbian, Graeca oppida, egre-
7 ditur. Callipidas Hypanis includit. Ex grandi palude oritur, quam Matrem eius accolae adpellant: et diu, qualis natus est, defluit. Tandem non longe a mari, ex parvo fonte, cui Exampeo cognomen est, adeo amaras

aquas accipit, ut ipſe quoque iam ſui diſſimilis et non dulcis hinc defluat. Axiaces proximus intra Callipidas Axiacasque deſcendit. Hos ab Iſtricis Tyra ſeparat, ſurgit in Neuris: qua exit, ſui nominis oppidum adtingit. At 8 ille, qui Scythiae populos a ſequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio, quam deſinit, nomine exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius eſt: deinde aliter eum adpellantibus accolis, ſit Iſter, acceptisque aliquot amnibus, ingens iam, et eorum, qui in Noſtrum mare decidunt, tantum Nilo minor, totidem, quot ille, oſtiis, ſed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus, effluit. Ingenia cultusque gentium differunt. 9 Eſſedones funera parentum laeti et victimis ac feſto coitu familiarium celebrant. Corpora ipſa laniata, et caeſis pecorum viſceribus immiſta, epulando conſumunt. Capita, ubi fabre expolivere, auro vincta pro poculis gerunt. Haec ſunt apud eos ipſos pietatis ultima officia. Agathyrſi ora artusque pingunt: ut quique 10 maioribus praeſtant, ita magis, vel minus: ceterum iisdem omnes notis, et ſic ut ablui nequeant. Satarchae, auri argentique, maximarum peſtium, ignari, vice rerum commercia exercent, atque ob ſaeva hiemis admodum

adſiduae, demerſis in humum ſedibus, ſpecus aut ſubfoſſa habitant, totum bracati corpus, 11 et, niſi qua vident, etiam ora veſtiti. Tauri, Iphigeniae et Oreſtis adventu maxime memorati, immanes ſunt moribus, immanemque famam habent, ſolere pro victimis advenas caedere. Baſilidis ab Hercule et Echidna generis principia ſunt, mores regii, arma tantum ſagittae. Vagi Nomades pecorum pabula ſequuntur, atque ut illa durant, ita diu ſtatam ſedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Axiacae, furari quid ſit, ignorant: ideoque nec ſua cuſtodiunt, nec aliena con- 12 tingunt. Interius habitantium ritus aſperior, et incultior regio eſt. Bella caedesque amant: mosque bellantibus, cruorem eius, quem primum interemerunt, ipſis e vulneribus ebibere. Ut quisque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius: ceterum expertem eſſe caedis, inter opprobria vel maximum. Ne foedera quidem incruenta ſunt; ſauciant ſe, qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem, ubi permiſcuere, deguſtant. Id putant manſurae fidei pignus certiſſimum. Inter epulas, quot quisque interfecerit, referre, laetiſſima et frequentiſſima mentio: binisque poculis, qui plurimos retulere, perpotant. Is inter iocan-

tes honos praecipuus eſt. Pocula, ut Eſſedones parentum, ita inimiciſſimorum capitibus expoliunt. Apud Anthropophagos ipſae etiam 13
epulae viſceribus humanis adparantur. Geloni hoſtium cutibus equos ſeque velant, illos reliqui corporis, ſe capitum. Melanchlaenis atra veſtis, et ex ea nomen: Neuris ſtatum ſingulis tempus eſt, quo, ſi velint, in lupos, iterumque in eos, qui fuere, mutentur. Mars omnium Deus; ei pro ſimulacris enſes et cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt. Terrae late patent, et, ob exceden- 14
tia ripas ſuas plerumque flumina, nusquam non ad pabula fertiles: alicubi usque eo ſteriles ad cetera, ut, qui habitant, lignorum egentes, ignes oſſibus alant.

CAP. II.

THRACIA.

His Thracia proxima eſt, eaque a Pontici 1
lateris fronte usque in Illyrios penitus immiſſa, qua latera agit, Iſtro pelagoque contingitur. Regio nec caelo laeta, nec ſolo; et, niſi qua mari propior eſt, infecunda, frigida, eorumque, quae ſeruntur, maligne admodum patiens, raro usquam pomiferam arborem,

vitem frequentius tolerat: ſed nec eius quidem fructus maturat ac mitigat, niſi ubi frigora obiectu frondium cultores arcuere. Viros benignius alit; non ad ſpeciem tamen; nam et illis aſper atque indecens corporum habitus eſt: ceterum ad ferociam et numerum, ut
2 multi immitesque ſint, maxime ferax. Paucos amnes, qui in pelagus evadunt, verum celeberrimos, Hebrum, et Neſton, et Strymona emittit. Montes interior adtollit, Haemon, et Rhodopen, et Orbelon, ſacris Liberi patris, et coetu Maenadum, Orpheo primum initiante, celebratos. E quis Haemos in tantum altitudinis abit, ut Euxinum et Hadriam ex ſummo
3 vertice oſtendat. Una gens, Thraces, habitant, aliis aliisque praediti et nominibus, et moribus. Quidam feri ſunt et ad mortem paratiſſimi, Getae utique. Id varia opinio perficit; alii redituras putant animas obeuntium: alii, etſi non redeant, non exſtingui tamen, ſed ad beatiora transire: alii, emori quidem, ſed id melius eſſe, quam vivere. Itaque lugentur apud quosdam puerperia, natique deflentur; funera contra feſta ſunt, et, veluti ſacra,
4 cantu luſuque celebrantur. Ne feminis quidem ſegnis eſt animus. Super mortuorum virorum corpora interfici ſimulque ſepeliri,

votum eximium habent: et quia plures ſimul ſingulis nuptae ſunt, cuius id ſit decus, apud indicaturos magno certamine adfectant. Moribus datur, eſtque maxime laetum, cum in hoc contenditur, vincere. Moerent aliae vocibus, et cum acerbiſſimis planctibus efferunt. At quibus conſolari eas animus eſt, arma opesque ad rogos deferunt; paratique (ut dictitant) cum fato iacentis, ſi detur in manus, vel paciſci, vel decernere, ubi nec pugnae, nec pecuniae locus ſit, manent dominas proci. Nupturae virgines non a parentibus viris traduntur, ſed publice aut locantur ducendae, aut veneunt. Utrum fiat, ex ſpecie et moribus cauſa eſt. Probae formoſaeque in pretio ſunt: ceteras qui habeant, mercede quaeruntur. Vini uſus quibusdam ignotus eſt: epulantibus tamen ubi ſuper ignes, quos circumſident, quaedam ſemina ingeſta ſunt, ſimilis ebrietati hilaritas ex nidore contingit. In litoribus Iſtro proxima eſt Iſtropolis; deinde a Mileſiis deducta Callatis; tum Tomoe, et portus Caria, et Tiriſtis promontorium: quod praetervectos alter Ponti angulus accipit, adverſus Phaſiaco, et, niſi amplior foret, ſimilis. Fuit hic Bizone; motu terrae intercidit. Eſt portus Crunos: urbes, Dionyſopolis, Odeſſos,

Meſembria, Anchialos; et intimo in ſinu, atque ubi Pontus alterum ſui flexum angulo finit magno, Apollonia. Recta dehinc ora, niſi quod media ferme in promontorium, quod Thyniam vocant, exit, et incurvis contra ſe litoribus obtenditur, urbesque ſuſtinet Halmydeſſon, et Phileas, et Phinopolim.
6 Hactenus Pontus. Deinde eſt Bosporus et Propontis: in Bosporo, Byzantium: in Propontide, Selymbria, Perinthos, Bithynis: amnesque, qui interfluunt, Erginos et Athyras: tum Rheſo regnata quondam pars Thraciae, et Biſanthe Samiorum, et ingens aliquando Cypſela: poſt locus, quem Graii Μακρὸν τεῖχος adpellant, et in radicem magnae paene inſu-
7 lae ſedens Lyſimachia. Terra quae ſequitur, nusquam lata, atque hic artiſſima inter Helleſpontum Aegaeumque procurrit. Anguſtias Iſthmon; frontem eius Maſtuſiam; totam Cherſoneſum adpellant: ob multa memorabilem. Eſt in ea flumen Aegos, naufragio claſſis Atticae inſigne. Eſt et Abydo obiacens Seſtos, Leandri amore pernobilis. Eſt et regio, in qua Perſarum exercitus diviſas ſpatio pelagoque terras, auſus pontibus iungere (mirum atque ingens facinus!) ex Aſia in Graeciam pedes et non navigata maria transgreſſus eſt.

Sunt Protesilai ossa, consecrata delubro. Est et portus Coelos, Athenienſibus et Lacedaemoniis navali acie decernentibus, Laconicae classis signatus excidio. Est Cynos sema, tumulus Hecubae, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam deciderat, humili nomine accepto. Est Madytos: est Eleus, quae finit Hellespontum. Aegaeum 8
statim pelagus vaste longum litus impellit, submotasque terras hinc ad promontorium, quod Sunium vocatur, magno ambitu mollique circumagit. Eius tractum legentibus praevectisque Mastusiam, sinus intrandus est, qui alterum Chersonesi latus adluens, iugo facie vallis includitur, et ex fluvio, quem accipit, Melas dictus, duas urbes amplectitur, Alopeconnesum, et in altero Isthmi litore sitam Cardiam: eximia est Aenos, ab Aenea profugo condita: circa Hebrum Cicones: trans eundem Doriscos, ubi Xerxen copias suas, quia numero non poterat, spatio mensum ferunt: deinde promontorium Serrhium, et, quo canentem Orphea secuta narrantur etiam nemora, Zone: tum Schoenos fluvius, et ripis eius adiacens Maronia. Regio ulterior Dio- 9
meden tulit, immanibus equis mandendos solitum obiectare advenas, et iisdem ab Her-

cule obiectum. Turris, quam Diomedis vocant, ſignum fabulae remanet: et urbs, quam ſoror eius ſuo nomine nominavit, Abdera; ſed ea magis id memorandum habet, quod Democritum Phyſicum tulit, quam quod ita condita eſt. Ultra Neſtos fluit, interque eum et Strymona urbes ſunt Philippi, Apollonia, Amphipolis: inter Strymona et Athon, turris Calarnaea, et Κάπρου λιμὴν, urbs Acanthos et Echymnia: inter Athon et Pallenen, Cleona et Olynthos. Strymon (ſicut diximus) amnis eſt, longeque ortus et tenuis, alienis ſubinde aquis fit amplior, et, ubi non longe a mari lacum fecit, maiore, quam venerat, alveo erumpit. Athos mons eſt adeo elatus, ut credatur altius etiam, quam unde imbres cadunt, ſurgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed, quo relinquitur aggere, manet. Ceterum non promontorio, ut alii, verum totus et toto longe dorſo procedit in pelagus. Qua continenti adhaeret, a Xerxe in Graios tendente perfoſſus transiugatusque eſt, et factus freto navigabili pervius. Ima eius tenent parvae Pelasgorum coloniae. In ſummo fuit oppidum Acroathon, in quo (ut ferunt) dimidio longior, quam in aliis terris, aetas habi-

tantium erat. Pallene, ſoli tam patentis, ut 11
quinque urbium ſedes ſit atque ager, tota in altum abit, anguſta ſatis, unde incipit. Ibi eſt Potidaea: at ubi laxius patet, Mende Scioneque referendae; illa ab Eretriis, haec ab Achivis, capto Ilio remeantibus, poſita.

CAP. III.

Macedonia, Graecia, Peloponneſus, Epirus et Illyricum.

Tum Macedonum populi quot urbes ha- 1
bitant, quarum Pelle eſt maxime illuſtris. Alumni efficiunt, Philippus Graeciae domitor, Alexander etiam Aſiae. In litore flexus Mecybernaeus, inter promontoria Derrin, et Canaſtraeum, et portum, qui Κωφὸς dicitur: urbes Toronen et Miſcellam, atque, unde ipſi nomen eſt, Mecybernam incingit. Canaſtraeo promontorio Sane proxima eſt. Mecybernaeus autem in medio, qua terra dat gremium, modice in litora ingreditur. Ceterum longis in altum immiſſis lateribus, ingens inde Thermaicus ſinus eſt. In eum Axius per Macedonas, et iam per Theſſalos Peneus excurrit. Ante Axium Theſſalonice eſt: inter utrumque Caſſandria, Cydna, Aloros, Icaris:

a Peneo ad Sepiada, Gyrtona, Meliboea, Caſtanaea, pares ad famam, niſi quod Philocte-
2 tes alumnus Meliboeam illuminat. Terrae interiores claris locorum nominibus inſignes, paene nihil ignobile ferunt. Hinc non longe eſt Olympus, Pelion, Oſſa, montes gigantum fabula belloque memorati: hic Muſarum parens domusque Pieria: hic noviſſime calcatum Graio Herculi ſolum, ſaltus Oetaeus: hic ſacro nemore nobilia Tempe: hic Libethra,
3 carminum fontes. [Obiacet] tum iam vaſte et multum prominens Graecia, et dum Myrtoum pelagus adtingat, a ſeptemtrione in meridiem vecta, qua ſol oritur, Aegaeis; qua occidit, Ioniis fluctibus obiacet. Ac proximo ſpatioſa et Hellas nomine, grandi fronte procedit: mox mari utroque, et Ionio magis, latera eius intrante, donec quatuor milia paſſuum pateat, media ferme prope inciditur. Deinde rurſum terris huc ſe et illuc, verum in Ionium mare magis expandentibus, progreſſisque in altum, non tam lata, quam coeperat, ingens tamen iterum et quaſi paene inſula extenditur, vocaturque Peloponneſos, ob ſinus et promontoria, quis, ut fibris, litora eius inciſa ſunt, ſimulque tenui tramite in latus effunditur, platani folio ſimillima.

A Macedonia prima eſt Theſſalia, deinde 4
Magneſia, Phthiotis, Doris, Locris, Phocis, Boeotis, Atthis, Megaris; ſed omnium Atthis clariſſima: in Peloponneſo Argolis, Laconice, Meſſenia, Achaia, Elis, Arcadia: ultra Aetolia, Acarnania, Epiros, usque in Hadriam. De locis atque urbibus, quae mare non adluit, haec maxime memoranda ſunt: in Theſſalia Lariſſa, aliquando Iolcos: in Magneſia Antronia: in Phthiotide Phthia: in Doride Pindus [et iuxta ſita Erineus:] in Locride Cynos et Calliaros: in Phocide Delphi, et mons Parnaſos, et Apollinis fanum atque oraculum: in Boeotia Thebae, et Cithaeron, fabulis carminibusque celebratus: in Atthide Eleuſin, Cereri conſecrata, et clariores, quam ut indicari egeant, Athenae: in Megaride, unde regioni nomen eſt, Megara: ut in Argolide Argos, et Mycenae, et templum Iunonis, vetuſtate et religione percelebre: in Laconide Therapne, Lacedaemon, Amyclae, mons Taygetus: in Meſſenia, Meſſene et Methone: in Achaia atque Elide quondam Piſae Oenomai, Elis etiam nunc, delubrumque Olympii Iovis, certamine gymnico et ſingulari ſanctitate, ipſo quidem tamen ſimulacro (quod Phidiae opus eſt) maxime nobile. Arcadiam 5

Peloponneſiacae gentes undique incingunt. In ea ſunt urbes Pſophis, Tegea, Orchomenos; montes Pholoë, Cyllenius, Parthenius, Maenalus; flumina Erymanthus et Ladon: in Aetolia Naupactos, in Acarnania Stratos, oppida: in Epiro Dodonaei Iovis templum, et fons ideo ſacer, quod, cum ſit frigidus, et immerſas faces, ſicut ceteri, exſtinguat, ubi ſine
6 igne procul admoventur, accendit. At cum litora leguntur, a promontorio Sepiade per Demetrium, et Halon, et Pteleon, et Echinon ad Pagaſaeum ſinum curſus eſt. Ille urbem Pagaſam amplexus, amnem Sperchion accipit: et, quia Minyae, Colchida petentes, inde Argo navem ſolvere, memoratur. Ab eo ad Sunium tendentibus illa praenaviganda: Maliacus et Opuntius, grandes ſinus, et in his, caeſorum etiam Laconum tropaea, Thermopylae, Opoës, Scarpha, Cnemides, Alope: Anthedon, Larymne, Aulis, Agamemnoniae Graiorumque claſſis in Troiam coniurantium ſtatio: Marathon, magnarum multarumque virtutum teſtis, iam inde a Theſeo, Perſica maxime clade, pernotus: Rhamnus parva, illuſtris tamen, quod in ea fanum eſt Amphiarai et Phidiaca Nemeſis: Thoricos et Brauronia, olim urbes, iam tantum nomina.

Sunium promontorium eſt, finitque id litus Hellados, quod ſpectat orientem. Inde ad 7
meridiem terra convertitur usque ad Megaram, Atticae, ut modo latere, ita nunc fronte pelago adiacens. Ibi eſt Piraeeus Athenienſium portus: Scironia ſaxa, ſaevo quondam Scironis hoſpitio etiam nunc infamia. Megarenſium tractus Iſthmon attingit, (Diolco cognomen eſt) qui quatuor milium ſpatio Aegaeum mare ab Ionio ſubmovens, anguſto tramite Helladi Peloponneſon adnectit. In eo eſt oppidum Cenchreae: fanum Neptuni, ludis, quos Iſthmicos vocant, celebre: Corinthos, olim clara opibus, poſt clade notior, nunc Romana colonia, ex ſumma arce, quam Acrocorinthon adpellant, maria utraque contuens. Peloponneſi oram (ſicut diximus) 8
ſinus et promontoria lacerant: ab oriente Bucephalos, et Cherſoneſus, et Scyllaeon; ad meridiem Malea, Taenaros, Acritas, Ichthys: ad veſperum Chelonates et Araxos. Habitant ab Iſthmo ad Scyllaeon Epidaurii, Aeſculapii templo incluti, et Troezenii, fide ſocietatis Atticae illuſtres. Portus Saronicus, et Schoenitas, et Pogonus: oppida autem Epidaurus, et Troezene, et Hermiona his litoribus adpoſita ſunt. Inter Scyllaeon et Malean, ſinus

Argolicus dicitur: inter Malean et Taenaron, Laconicus: inter Taenaron et Acritan, Aſinaeus: inter Acritan et Ichthyn, Cypariſſius. 9 In Argolico ſunt noti amnes, Eraſinus atque Inachus, et notum oppidum Lerne: in Laconico Gythius et Eurotas: in ipſo Taenaro Neptuni templum, et ſpecus, illi, quem in Ponto Acheruſiam diximus, facie et fabula ſimilis: in Aſinaeo flumen Pamiſum; in Cypariſſio Alpheus; nomen dedit urbs, in litore ſita, huic Cypariſſae, illi Aſine: Meſſenii Pyliique terras colunt, et ipſa pelago Pylos adiacet. Cyllene, Enneapolis, Patrae oram illam tenent, in quam Chelonates et Araxos excurrunt: ſed Cyllene, quod Mercurium ibi natum arbitrantur, inſignis. Rhion deinde (maris id nomen eſt) anguſte, et velut freto, latus orae ſequentis incidens, inter Aetolos et Peloponneſiacos usque ad Iſthmon irrumpit. 10 In eo ad ſeptemtriones ſpectare litora incipiunt. In his eſt Aegion, et Aegira, et Oluros, et Sicyon: at in adverſis Pagae, Creuſis, Anticyra, Oeanthia, Cirrha, et notior aliquanto nomine, Calydon, et Evenos extra Rhion. In Acarnania maxime clara ſunt oppidum Leucas, flumen Achelous. In Epiro nihil Ambracio ſinu nobilius eſt. Facit ſinus,

qui anguſtis faucibus, et quae minus mile paſſibus pateant, grande pelagus admittit. Faciunt urbes, quae adſidunt; Actium, Argos Amphilochi, Ambracia, Aeacidarum regna Pyrrhique. Buthroton ultra eſt: deinde Ceraunii montes: ab his flexus in Hadriam. Hoc mare magno receſſu litorum acceptum, 12
et vaſte quidem in latitudinem patens, qua penetrat, tamen vaſtius, Illyricis usque Tergeſtum, cetera Gallicis Italicisque gentibus cingitur. Partheni et Daſſaretae prima eius tenent: ſequentia Taulantii, Encheliae, Phaeaces. Deinde ſunt, quos proprie Illyrios vo- 12
cant: tum Pyraei, et Liburni, et Iſtria. Urbium prima eſt Oricum, ſecunda Dyrrhachium; Epidamnos ante erat: Romani nomen mutavere, quia, velut in damnum ituris, omen id viſum eſt. Ultra ſunt Apollonia, Sa- 13
lona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polatieus, et Pola, quondam a Colchis, ut ferunt, habitata, (in quantum res transeunt!) nunc Romana colonia. Amnes autem Aeas et Nar, et Danubius, qui iam dictus eſt Iſter: ſed Aeas ſecundum Apolloniam, Nar inter Pyraeos et Liburnos, per Iſtros Iſter emittitur. Tergeſtum, intimo in ſinu Hadriae ſitum, finit Illyricum.

CAP. IV.

ITALIA.

1 De Italia, magis quia ordo exigit, quam quia monſtrari eget, pauca dicentur: nota ſunt omnia. Ab Alpibus incipit in altum excedere, atque, ut procedit, ſe media perpetuo iugo Apennini montis adtollens, inter Hadriaticum et Tuſcum, ſive (ut aliter eadem adpellantur) inter Superum mare et Inferum excurrit, diu ſolida. Verum ubi longe abit, in duo cornua ſcinditur, reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium: tota anguſta, et alicubi multo, quam unde coepit, anguſtior. 2 Interiora eius aliae aliaeque gentes; ſiniſtra parte Carni et Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Sallentini. Ad dextram ſunt ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Etruria; poſt Latium, Volſci, Campania, et ſuper Lucaniam Bruttii. Urbium, quae procul a mari habitantur, opulentiſſimae ſunt, ad ſiniſtram Patavium Antenoris, Mutina et Bononia, Romanorum coloniae: ad dextram Capua a Tuſcis, et Roma, quondam a paſtoribus condita; nunc, ſi pro materia dicatur, alterum 3 opus. At in oris proxima eſt a Tergeſte Con-

cordia. Interfluit Timavus, novem capitibus exſurgens, uno oſtio emiſſus: deinde Natiſo non longe a mari ditem adtingit Aquileiam. Ultra eſt Altinum. Superna late occupat 4
litora Padus. Namque ab imis radicibus Veſuli montis exortus, parvis ſe primum e fontibus colligit; et aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeo augeſcit atque alitur, ut ſe per ſeptem ad poſtremum oſtia effundat. Unum de eis magnum, Padum appellant. Inde tam citus proſilit, ut discuſſis fluctibus diu, qualem emiſit, undam agat, ſuumque etiam in mari alveum ſervet, donec eum ex adverſo litore Iſtriae eodem impetu profluens Iſter amnis excipiat. Hac re per ea loca navigantibus, qua utrimque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt. A Pado 5
ad Anconam tranſitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia; flumen Metaurus atque Aeſis. Exin illa in anguſto duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium, inflexi cubiti imagine ſedens, et ideo a Graiis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque gentes quaſi terminus intereſt. Haec enim praegreſſos 6
Piceni litora excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra, urbes; caſtella autem Firmum, Hadria, Truentinum: id et

fluvio, qui praeterit, nomen eſt. Ab eo Frentani iam Matrini habent et Aterni flumi-nis oſtia, urbes Bucam et Hiſtonium: Dauni autem Tifernum amnem; Cliterniam, Lari-num, Teanum, oppida; montemque Garga-
7 num. Sinus eſt continuo Apulo litore in-cinctus, nomine Urias, modicus ſpatio, ple-raque aſper acceſſu: extra Sipontum, vel (ut Graii dixere) Sipus; et flumen, quod Canu-ſium adtingens, Aufidum adpellant: poſt Ba-rium, et Gnatia, et Ennio cive nobiles Ru-diae: et iam in Calabria Brunduſium, Vale-tium, Lupiae, Hydrus mons: tum Sallentini campi, et Sallentina litora, et urbs Graia Cal-lipolis. Hucusque Hadria, hucusque Italiae
8 latus alterum pertinet. Frons eius in duo qui-dem ſe cornua (ſicut ſupra diximus) ſcindit: ceterum mare, quod inter utraque admittit, tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtin-guens, non uno margine circuit, nec diffu-ſum patensque, ſed per ſinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Sallen-tinum et Lacinium; in eoque ſunt Tarentum, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium: ſecundus Scylaceus, inter promontoria Laci-nium et Zephyrium; in quo eſt Petelia, Car-cinus, Scylaceum, Myſtiae: tertius inter Ze-

phyrium et Bruttium, Conſentiam, Cauloniam, Locrosque circumdat. In Bruttio ſunt, Columna Rhegia, Rhegium, Scylla, Taurianum, et Metaurum. Hinc in Tuſcum mare 9
eſt flexus, et eiusdem terrae latus alterum. Medama, Hippo, nunc Vibon, Temeſa, Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen, Paeſtanus ſinus, Paeſtum oppidum, Silerus amnis, Picentia, Petrae, quas Sirenes habitavere, Minervae promontorium, omnia Lucaniae loca; ſinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Veſuvii montis aſpectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus et Avernus, Baiae, Miſenum, (id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen) Cumae, Liternum, Volturnus amnis, Volturnum oppidum, amoena Campaniae litora; Sinueſſa, Liris, Minturnae, Formiae, Fundi, Tarracina; Circes domus, aliquando Circeii, Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum, Oſtia, citra Tiberim in hoc latere ſunt: ultra Pyrgi, Minio, Caſtrum novum, Graviſcae, Coſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſae, Etruſca et loca et nomina; deinde Luna Ligurum, et Tigulia, et Genua, et Sabatia, et Albingaunum; tum Paulo et Varum flumina, utraque ab Alpibus

delapsa, sed Varum, quia Italiam finit, ali-
10 quanto notius. Alpes ipsae ab his litoribus longe lateque diffusae, primo ad septemtrionem magno gradu excurrunt: deinde ubi Germaniam adtigerunt, verso impetu in orientem abeunt, diremtisque populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.

CAP. V.

Gallia Narbonensis.

1 Gallia Lemanno lacu et Cebennicis montibus in duo latera divisa, atque altero Tuscum pelagus adtingens, altero Oceanum, hinc a Varo, illinc a Rheno ad Pyrenaeum usque permittitur. Pars Nostro mari adposita, (fuit aliquando Bracata, nunc Narbonensis,) est magis culta et magis consita, ideoque etiam
2 laetior. Urbium, quas habet, opulentissimae sunt, Vasio Vocontiorum, Vienna Allobrogum, Avenio Cavarum, Arecomicorum Nemausus, Tolosa Tectosagum, Secundanorum Arausio, Sextanorum Arelate, Septimanorumque Baeterrae. Sed antestat omnes Atacinorum Decimanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit, nunc et nomen et
3 decus est, Martius Narbo. In litoribus ali-

quot ſunt cum aliquibus nominibus loca: ceterum rarae urbes, quia rari portus, et omnis plaga auſtro atque africo expoſita eſt. Nicaea tangit Alpes, tangit oppidum Deciatum, tangit Antipolis. Deinde eſt Forum Iulii, Octavanorum colonia: tum poſt Athenopolin, et Olbiam, et Tauroin, et Citharistem eſt Lacydon, Maſſilienſium portus, et in eo ipſa Maſſilia. Haec a Phocaeis oriunda, et olim inter aſperas poſita, nunc ut pacatis, ita diſſimillimis tamen vicina gentibus, mirum quam facile et tunc ſedem alienam ceperit, et adhuc morem ſuum teneat. Inter eam et 4
Rhodanum Maritima Avaticorum ſtagno adſidet. Foſſa Mariana partem eius amnis navigabili alveo effundit. Alioquin litus ignobile eſt, lapideum, ut vocant; in quo Herculem contra Albiona et Bergion, Neptuni liberos, dimicantem cum tela defeciſſent, ab invocato Iove adiutum imbre lapidum ferunt. Credas pluiſſe, adeo multi paſſim et late iacent. Rhodanus non longe ab Iſtri Rhenique fonti- 5
bus ſurgit: deinde, Lemanno lacu acceptus, tenet impetum, ſeque per medium integer agens, quantus venit, egreditur; et inde contra occidentem ablatus, aliquamdiu Gallias dirimit: poſt curſu in meridiem abducto, hac

intrat, acceſſuque aliorum amnium iam grandis, et ſubinde grandior, inter Volcas et Ca-
6 varas emittitur. Ultra ſunt ſtagna Volcarum, Ledum flumen, caſtellum Latera, Meſua collis, incinctus mari paene undique, ac, niſi quod anguſto aggere continenti adnectitur, inſula. Tum ex Cebennis demiſſus Arauris iuxta Agathan, ſecundum Baeterras Orbis fluit. Atax ex Pyrenaeo monte degreſſus, qua ſui fontis aquis venit, exiguus vadusque eſt; et iam ingentis alioquin alvei tenens, niſi ubi Narbonem adtingit, nusquam navigabilis: ſed cum hibernis intumuit imbribus, usque eo ſolitus inſurgere, ut ſe ipſe non capiat. Lacus accipit eum Rubreſus nomine, ſpatioſus admodum, ſed qua mare admittit, tenuis aditu.
7 Ultra eſt Leucata, litoris nomen, et Salſulae fons, non dulcibus aquis defluens, ſed ſalſioribus etiam, quam marinae ſunt: iuxta campus minuta arundine gracilique perviridis, ceterum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus. Id manifeſtat media pars eius, quae abſciſſa proximis, velut inſula natat, pellique ſe atque adtrahi patitur. Quin et ex iis, quae ad imum perfoſſa ſunt, ſubfuſum mare oſtenditur. Unde Graiis noſtrisque etiam auctoribus, verine ignorantia, an, prudentibus etiam, mendacii

libidine viſum eſt tradere poſteris, in ea regione piſcem e terra penitus oriri, qui, ubi ex alto hucusque penetravit, per ea foramina, ictu capulantium interfectus, extrahitur. Inde 8
eſt ora Sordonum, et parva flumina Telis et Tichis, ubi accrevere, perſaeva: colonia Ruſcino, vicus Illiberri, magnae quondam urbis et magnarum opum tenue veſtigium. Tum inter Pyrenaei promontoria Portus Veneris in ſinu falſo, et Cervaria locus, finis Galliae.

CAP. VI.

Hiſpaniae ora citerior.

Pyrenaeus primo hinc in Britannicum pro- 1
currit Oceanum; tum in terras fronte converſus, Hiſpaniam irrumpit, et minore eius parte ad dextram excluſa, trahit perpetua latera continuus, per omnem donec provinciam longo limite immiſſus, in ea litora, quae occidenti ſunt adverſa, perveniat. Ipſa Hiſpania, 2
niſi qua Gallias tangit, pelago undique incincta eſt: ubi illis adhaeret, maxime anguſta paullatim ſe in Noſtrum et Oceanum mare extendit: magisque et magis latior ad occidentem abit, ac fit ibi latiſſima: viris, equis, ferro, plumbo, aere, argento auroque etiam

abundans, et adeo fertilis, ut, ſicubi ob penuriam aquarum effeta et ſui diſſimilis eſt, linum
3 tamen, aut ſpartum alat. Tribus autem eſt diſtincta nominibus; parsque eius Tarraconenſis, pars Baetica, pars Luſitania vocatur. Tarraconenſis altero capite Gallias, altero Baeticam Luſitaniamque contingens, mari latera obiicit Noſtro, qua meridiem; qua ſeptemtrionem ſpectat, Oceano. Illas fluvius Anas ſeparat, et ideo Baetica maria utraque proſpicit: ad occidentem, Atlanticum; ad meridiem, Noſtrum. Luſitania Oceano tantummodo obiecta eſt, ſed latere ad ſeptemtriones,
4 fronte ad occaſum. Urbium de mediterraneis in Tarraconenſi clariſſimae fuerunt Palantia et Numantia, nunc eſt Caeſaraugusta: in Luſitania Emerita: in Baetica Aſtigi, Hiſpal, Cor-
5 duba. At ſi litora legas, a Cervaria proxima eſt rupes, quae in altum Pyrenaeum extrudit: dein Tichis flumen ad Rhodam, Clodianum ad Emporias: tum mons Iovis, cuius partem occidenti adverſam, eminentia cautium, quod inter exigua ſpatia, ut gradus, ſubinde conſurgunt, Scalas Hannibalis adpellant. Inde ad Tarraconem parva ſunt oppida, Blanda, Eluro, Baetulo, Barcino, Subur, Tolobi: parva flumina, Baetulo iuxta Iovis montem,

Rubricatum in Barcinonis litore, inter Subur et Tolobin Maius. Tarraco urbs eſt in his oris maritimarum opulentiſſima: Tulcis eam modicus amnis, ſuper ingens Iberus Dertoſam adtingit. Inde ſe in terras pelagus inſinuat, 6
et primum magno impetu admiſſum, mox in duos ſinus promontorio, quod Ferrariam vocant, finditur. Prior Sucronenſis dicitur, maiorque ac magno ſatis ore pelagus accipiens, et, quo magis penetratur, anguſtior, Saetabim, et Turiam, et Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, et alias quidem, ſed notiſſimas Valentiam, et Saguntum illam, fide et aerumnis inclutam. Sequens Illicitanus Alonen habet, et Lucentiam, et, unde ei nomen eſt, Illicen. Hic iam terrae magis in altum eunt, latioremque, quam fuerat, Hiſpaniam faciunt. Verum ab his, quae dicta ſunt, 7
ad principia Baeticae, praeter Carthaginem, quam dux Poenorum Hasdrubal condidit, nihil referendum eſt. In illis oris ignobilia ſunt oppida, et quorum mentio tantum ad ordinem facit; Urci in ſinu, quem Urcitanum vocant: extra Abdera, Suel, Hexi, Maenoba, Malaca, Salduba, Lacippo, Barbeſula. Aperit 8
deinde anguſtiſſimum pelagus, et proxima inter ſe Europae atque Africae litora montes

efficiunt, ut initio diximus, Columnae Herculis, Abyla et Calpe: uterque quidem, ſed Calpe magis, et paene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua ſpectat occaſum, medium fere latus aperit: atque inde ingreſſis totus admodum
9 pervius, prope quantum patet, ſpecus. Sinus ultra eſt, in eoque Carteia, (ut quidam putant, aliquando Tarteſſos,) et quam transvecti ex Africa Phoenices habitant, atque unde nos ſumus, Tingentera. Tum Mellaria, et Belo, et Beſippo usque ad Iunonis promontorium oram Freti occupat. Illud iam in occidentem et Oceanum obliquo iugo excurrens, atque ei, quod in Africa Ἀμπελουσίαν eſſe dixeramus, adverſum, qua Noſtra maria ſunt, finit Europen.

CAP. VII.

Mediterranei maris inſulae.

1 Gades inſula, quae egreſſis Fretum obvia eſt, admonet ante reliquas dicere, quam in Oceani litora Terrarumque circuitum, ut initio promiſimus, oratio excedat. Paucae ſunt in Maeotide, (inde enim videtur commodiſſimum incipere) neque omnes tamen in-

coluntur: nam ne pabula quidem large ferunt. Hac re habitantibus caro magnorum piſcium ſole ſiccata, et in pollinem usque contuſa, pro farre eſt. Paucae et in Ponto; Leuce, 2
Boryſthenis oſtio obiecta, parva admodum, et quod ibi Achilles ſitus eſt, Achillea cognomine: non longe a Colchis Aria, quae, Marti conſecrata, (ut fabulis traditur) tulit aves cum ſumma clade advenientium pennas, quaſi tela, iaculatas. Sex ſunt inter Iſtri oſtia: ex his Peuce notiſſima et maxima. Thynias, Mariandynorum finibus proxima, urbem habet, quam, quia Bithyni incolunt, Bithynida appellant. Contra Thracium Bosporum duae 3
parvae, parvoque diſtantes ſpatio, et aliquando creditae dictaeque concurrere, et Cyaneae vocantur et Symplegades. In Pro- 4
pontide tantum Proconneſos habitatur. Extra Hellespontum earum, quae Aſiaticis regionibus adiacent, clariſſimae ſunt, Tenedos, Sigeis adverſa litoribus, et, quo dicentur ordine, ad promontorium Tauri montis expoſitae, quas quondam dici putavere Μακάρων; ſive quod fortunati admodum coeli ſolique ſunt, ſive quod eas ſuo ſuorumque regno Macar occupaverat: in Troade Lesbos, et in ea quinque olim oppida, Antiſſa, Pyrrha, Ereſos, Me-

thymna, Mytilene: in Ionia Chios et Samos: in Caria Cos: in Lycia Rhodos; in illis ſingulae ſunt iisdem nominibus urbes: in Rhodo tres quondam erant, Lindos, Camiros, Ialyſos.
5 Quae contra Tauri promontorium importunae navigantibus obiacent, Chelidoniae nominantur. In ſinu, quem maximum Aſia recipit prope media, Cypros, ad ortum occaſumque ſe immittens, recto iugo inter Ciliciam Syriamque porrigitur; ingens, ut quae aliquando novem regna ceperit, et nunc aliquot urbes ferat, quarum clariſſimae Salamis et Paphos, et, quo primum ex mari Venerem egreſſam
6 accolae adfirmant, Palaepaphos. Arados in Phoenice eſt parva, et, quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam ſuper aliena tecta ſedem ponere licet. Parva et Canopos, Nili oſtio, quod Canopicum vocant, obvia eſt. Menelai gubernator Canopus, ibi forte moriens, nomen inſulae, illa oſtio dedit. Pharos nunc Alexandriae ponte coniungitur, olim (ut Homerico carmine proditum eſt) ab eisdem oris curſu diei totius abducta: et, ſi ita res fuit, videri poteſt coniectantibus in tantum mutatae cauſas Nilum praebuiſſe, dum limum ſubinde, et praecipue cum exundaret, litori adnectens, auget terras, ſpatiumque au-

geſcentium in vicina vada promovet. In Africa 7
contra maiorem Syrtim Euteletos: contra minoris promontoria, Meninx et Cercina: contra Carthaginis ſinum, Tarichiae et Aegates, Romana clade memorabiles. Plures Europae 8
litoribus ſunt adpoſitae: in Aegaeo mari prope Thraciam Thaſos, Imbros, Samothrace, Scandile, Polyaegos, Sciathos, Halonneſos; et, quam aliquando, omnibus, qui mares erant, caeſis, tantum feminae tenuiſſe dicuntur, Atho monti Lemnos adverſa. Pagaſaeus ſinus Scyron proſpicit, Cicynethon amplectitur. Euboea ad meridiem promontorium 9
Geraeſton et Capharea, ad ſeptemtrionem Cenaeum extrudit, et nusquam lata, duum milium ſpatium habet, ubi artiſſima eſt: ceterum longa, totique Boeotiae adpoſita, anguſto freto diſtat a litore. Euripon vocant, rapidum mare, et, alterno curſu ſepties die ac ſepties nocte fluctibus in vicem verſis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia fruſtretur. Aliquot in ea ſunt oppida, Styra, Eretria, Pyrrha, Neſos, Oechalia: verum opulentiſſimae Caryſtos et Chalcis. In Atthide Helene eſt, nota ſtupro Helenae, et 10
Salamis, excidio claſſis Perſicae notior: circa Peloponneſon etiam nunc in Aegaeo Pityuſſa,

et Aegina, Epidaurico litori proxima, Troezenio, Calauria, inter ignobiles alias leto Demoſthenis nobilis: in Myrtoo Cythera contra Malean, Oenuſſa et Theganuſſa contra Acritan: in Ionio Prote, Aſteria, Cephallenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium; et inter non ignobiles, Ulixis nomine Ithaca maxime illuſtris: in Epiro Echinades, et olim Plotae, nunc Strophades: contra Ambracium ſinum Leucadia, et vicina Hadriatico mari Corcyra. Hae Thracum Graiorumque terris
11 obiacent. At interius Melos, Olearos, Aegilia, Cothon, Ios, Thia, Thera, Gyaros, Hippuris, Dionyſia, Cythnos, Chalcia, Icaria, Cinara, Niſyros, Lebinthos, Calymnia, Syme. Hae, quia diſperſae ſunt, Sporades. Ab eis Sicinos, Siphnos, Seriphos, Rhenea, Paros, Myconos, Syros, Tenos, Naxos, Delos, Andros,
12 quia in orbem iacent, Cyclades dictae. Super eas iam in medio mari, ingens et centum quondam urbibus habitata Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem Κριοῦ μέτωπον immittit; niſi maior eſſet, Cypri ſimilis: multis famigerata fabulis, adventu Europae, Paſiphaës et Ariadnae amoribus, Minotauri feritate fatoque, Daedali operibus et fuga, Tali ſtatione atque morte; maxime

tamen eo, quod ibi ſepulti Iovis paene clarum veſtigium, ſepulcrum, cui nomen eius inſculptum eſſe accolae oſtendunt. Urbium notiſſimae, Gnoſos, Gortyna, Lyctos, Lycaſtos, Holopyxos, Therapnae, Cydonea, Marathuſa, Dictynna. Inter colles, quod ibi nutritum Iovem accepimus, fama Idaei montis excellit. Iuxta eſt Aſtypalaea, Naumachos, Zephyre, 13
Chryſe, Caudos, et quas Μυσαγόρους numero tres, uno tamen vocabulo adpellant: atque, unde Carpathio mari cognomen eſt, Carpathos. In Hadria Apſoros, Dyſcelados, Abſyrtis, Iſſa, Pityia, Hydria, Electrides, nigra Corcyra, Tragurium, Diomedia, Aeſtria, Saſon, atque, ut Alexandriae, ita Brunduſio adiacens Pharos. Sicilia (ut ferunt) aliquando 14
continens, et agro Bruttio adnexa, poſt freto maris Siculi abſciſſa eſt. Id anguſtum et anceps alterno curſu modo in Tuſcum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, ſaevum, et Scyllae Charybdisque ſaevis nominibus inclutum. Scylla ſaxum eſt, Charybdis mare, utrumque noxium adpulſis. Ipſa ingens et tribus promontoriis in diverſa procurrens, Graecae literae imaginem, quae Delta dicitur, efficit. Pachynum vocatur, quod Graeciam 15
ſpectat: Lilybaeum, quod Africam: Peloris,

quod in Italiam vergens Scyllae adverſum eſt. Cauſa nominis Pelorus, gubernator, ab Hannibale ibidem conditus; quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua eſſe litora, et non pervium pelagus, proditum ſe
16 arbitratus occiderat. Ab eo ad Pachynum ora quae extenditur, Ionium mare adtingens, haec fert illuſtria, Meſſanam, Tauromenium, Catinam, Megarida, Syracuſas, et in iis mirabilem Arethuſam. Fons eſt, in quo viſuntur iacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponneſiaco litori infuſum: unde ille creditur non ſe conſociare pelago, ſed, ſubter maria terrasque depreſſus, huc agere alveum, atque hic ſe rurſus extollere. Inter Pachynum et Lilybaeum Acragas eſt, et Heraclea, et Thermae: inter Lilybaeum et Pelorida Panhormus, et Himera: interius vero Leontini, et Centuripinum, et Hybla, aliaeque complures; famam habet ob Cereris templum Henna.
17 Praecipui montium Eryx, maxime memoratus ob delubrum Veneris, ab Aenea conditum, et Aetna, quae Cyclopas olim tulit, nunc adſiduis ignibus flagrat. De amnibus Himera referendus, quia in media admodum ortus, in diverſa decurrit, ſcindensque eam utrim-

que, alio ore in Libycum, alio in Tuſcum mare devenit. Circa Siciliam in Siculo freto 18
eſt Aeaee, quam Calypſo habitaſſe dicitur; Africam verſus Gaulos, Melita, Coſſura; propius Italiam Calatha, et illae ſeptem, quas Aeoli adpellant, Oſteodes, Lipara, Heraclea, Didyme, Phoenicuſſa, ac, ſicut Aetna, perpetuo flagrantes igne Hiera et Strongyle. Sed Pithecuſſa, Leucothea, Aenaria, Phitonia, Capreae, Prochyta, Pontiae, Pandateria, Sinonia, Palmaria, Italico lateri citra Tiberina oſtia obiacent. Ultra aliquot ſunt parvae, Dia- 19
nium, Igilium, Carbania, Urgo, Ilva, Capraria: duae grandes, fretoque diviſae, Corſica et Sardinia; quarum Corſica Etruſco litori propior, intra latera tenuis et longa, praeterquam ubi Aleria et Mariana coloniae ſunt, a Barbaris colitur: Sardinia Africum pelagus adtingens, niſi quod in occidentem, quam in orientem, anguſtius ſpectat, par et quadrata undique, et nusquam non aliquanto ſpatioſior, quam ubi longiſſima eſt Corſica; ceterum fertilis, et ſoli, quam coeli, melioris, atque ut fecunda, ita paene peſtilens. In ea antiquiſſimi populorum ſunt Ilienſes: urbium antiquiſſimae Caralis et Sulci. At in Gallia, quas re- 20
ferre conveniat, ſolae ſunt Stoechades, ab

ora Ligurum ad Maſſiliam usque diſperſae. Baleares in Hiſpania, contra Tarraconenſia litora ſitae, non longe inter ſe diſtant, et ex ſpatio ſui cognominibus acceptis, maiores, minoresque perhibentur. Caſtella ſunt in minoribus, Iamno et Maio: in maioribus, 21 Palma et Pollentia coloniae. Ebuſos e regione promontorii, quod in Sucronenſi ſinu Ferrariam vocant, eodem nomine urbem habet, frumentis tantum non fecunda, at alia largior, et omnium animalium, quae nocent, adeo expers, ut ne ea quidem, quae de agreſtibus mitia ſunt, aut generet, aut, ſi 22 invecta ſunt, ſuſtineat. Contra eſt Colubraria, cuius meminiſſe ſuccurrit, quod, cum ſcateat multo ac malefico genere ſerpentium, et ſit ideo inhabitabilis, tamen ingreſſis eam, intra id ſpatium, quod Ebuſitana humo circumſignaverunt, ſine pernicie et rata eſt; iisdem illis ſerpentibus, qui ſolent obvios adpetere, adſpectum eius pulveris, aliud velut virus, procul et cum pavore fugientibus.

POMPONII MELAE
DE
SITU ORBIS
LIBER III.

CAP. I.
Hiſpaniae ora exterior.

Dicta eſt ora Noſtri maris: dictae inſulae, 1
quas amplectitur. Reſtat ille circuitus, quem (ut initio diximus) cingit Oceanus. Ingens infinitumque Pelagus, et magnis aeſtibus concitum, (ita enim motus eius appellant) modo inundat campos, modo late nudat ac refugit, non alios aliosque in vicem, neque alternis acceſſibus nunc in hos, nunc in illos toto impetu verſum: ſed ubi in omnia litora, quamvis diverſa ſint, Terrarum Inſularumque ex medio pariter effuſum eſt, rurſus ab illis colligitur in medium, et in ſemet ipſum redit; tanta vi ſemper immiſſum, ut vaſta etiam

flumina retro agat, et aut terreſtria deprehen-
2 dat animalia, aut marina deſtituat. Neque adhuc ſatis cognitum eſt, anhelitune ſuo id Mundus efficiat, retractamque cum ſpiritu regerat undam undique, ſi (ut doctioribus placet) unum animal eſt: an ſint depreſſi aliqui ſpecus, quo reciprocata maria reſidant, atque unde ſe rurſus exuberantia adtollant: an Luna cauſas tantis meatibus praebeat. Ad ortus certe eius occaſusque variantur: neque eodem adſidue tempore, ſed ut illa ſurgit ac demergitur, ita recedere atque adventare
3 comperimus. Huc egreſſos, ſequentesque ea, quae exeuntibus dextra ſunt, aequor Atlanticum et ora Baeticae frontis excipit, quae, niſi quod ſemel iterumque paullulum in ſemet abducitur, usque ad fluvium Anam paene recta
4 eſt. Turduli et Baſtuli habitant. In proximo ſinu portus eſt, quem Gaditanum, et lucus, quem Oleaſtrum adpellant: tum caſtellum Ebora in litore, et procul a litore Aſta colonia. Extra Iunonis ara templumque eſt: in ipſo mari monumentum Caepionis, ſcopulo magis,
5 quam inſulae impoſitum. Baetis ex Tarraconenſi regione demiſſus, per hanc fere mediam diu, ſicut naſcitur, uno amne decurrit: poſt, ubi non longe a mari grandem lacum fecit,

quaſi ex uno fonte geminus exoritur: quantusque ſimplici alveo venerat, tantus ſingulis effluit. Tum ſinus alter usque ad finem provinciae inflectitur, eumque parva oppida, Olintigi, Onoba, Laepa, contingunt. At Lu- 6
ſitania trans Anam, qua mare Atlanticum ſpectat, primum ingenti impetu in altum abit: deinde reſiſtit, ac ſe magis etiam, quam Baetica, abducit. Qua prominet, his in ſemet recepto mari, in tria promontoria diſpergitur. Anae proximum, quia lata ſede procurrens, paullatim ſe ac ſua latera faſtigat, Cuneus ager dicitur: ſequens, Sacrum vocant: Magnum, quod ulterius eſt. In Cuneo ſunt, Myrtili, Balſa, Oſſonoba: in Sacro Lacobriga, et Portus Hannibalis: in Magno Ebora. Sinus interſunt: et eſt in proximo Salacia; in altero, Ulyſſippo, et Tagi oſtium, amnis gemmas aurumque generantis. Ab his promontoriis in 7
illam partem, quae receſſit, ingens flexus aperitur; in eoque ſunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida: amnes autem, Monda, in medium fere ultimi promontorii latus effluens, et radices eiusdem adluens Durius. Frons illa aliquamdiu rectam ripam habet: dein modico flexu accepto, mox paullulum eminet: tum reducta iterum iterumque recto margine

iacens, ad promontorium, quod Celticum
8 vocamus, extenditur. Totam Celtici colunt, ſed a Durio ad flexum Grovii: fluuntque per eos, Avo, Celadus, Naebis, Minius, et, cui Oblivionis cognomen eſt, Limia. Flexus ipſa Lambricam urbem amplexus, recipit fluvios Laeron et Ullam. Partem, quae prominet, Praeſamarchi habitant, perque eos Tamaris et Sars, flumina non longe orta, decurrunt; Tamaris, ſecundum Ebora portum; Sars, iuxta turrem Auguſti titulo memorabilem. Cetera ſuper Tamarici Neriique incolunt, in eo tractu ultimi. Hactenus enim ad occidentem verſa
9 litora pertinent. Deinde ad ſeptemtriones toto latere terra convertitur a Celtico promontorio ad Scythicum usque. Perpetua eius ora, niſi ubi modici receſſus ac parva promontoria ſunt, ad Cantabros paene recta eſt. In ea primum Artabri ſunt, etiamnunc Celticae gentis; deinde Aſtures. In Artabris ſinus ore anguſto admiſſum mare non anguſto ambitu excipiens, Adobricam urbem et quatuor amnium oſtia incingit: duo, etiam inter accolentes, ignobilia ſunt; per alia duo Mearus exit, et Ivia. In Aſturum litore Noega eſt oppidum: et tres arae, quas Seſtianas vocant, in paene inſula ſedent, et ſunt Auguſti no-

mine ſacrae, illuſtrantque terras ante ignobiles. At ab eo flumine, quod Saliam vocant, incipiunt orae paullatim recedere, et latae adhuc Hiſpaniae magis magisque ſpatia contrahere, usque adeo ſemet terris anguſtantibus, ut earum ſpatium inter duo maria dimidio minus ſit, qua Galliam tangunt, quam ubi ad occidentem litus exporrigunt. Tractum Cantabri et Varduli tenent. Cantabrorum aliquot populi amnesque ſunt, ſed quorum nomina noſtro ore concipi nequeant. Per Concanos et Salenos Saunium, per Autrigones et Origenomeſcos Nanaſa deſcendit: et Devales Tritium Toboricum cingit, et Decium Aturia, et Oeaſonem Magrada. Varduli, una gens, hinc ad Pyrenaei iugi promontorium pertinens, claudit Hiſpanias.

CAP. II.

Galliae ora exterior.

Sequitur Galliae latus alterum, cuius ora primo nihil progreſſa in altum, mox tantumdem paene in pelagus excedens, quantum retro Hiſpania abſceſſerat, Cantabricis ſit adverſa terris, et grandi circuitu amflexa, ad occidentem litus advertit. Tunc ad ſeptem-

triones converſa, iterum longo rectoque tractu
2 ad ripas Rheni amnis expanditur. Terra eſt frumenti praecipue ac pabuli ferax, et amoena lucis immanibus. Quicquid ex ſatis frigoris impatiens eſt, aegre, nec ubique alit; ſalubris, et noxio genere animalium minime frequens.
3 Gentes ſuperbae, ſuperſtitioſae, aliquando etiam immanes adeo, ut hominem optimam et gratiſſimam Diis victimam caederent. Manent veſtigia feritatis iam abolitae, atque ut ab ultimis caedibus temperant, ita nihilominus, ubi devotos altaribus admovere, delibant. Habent tamen et facundiam ſuam, magiſtrosque ſapientiae Druidas. Hi Terrae Mundique magnitudinem et formam, motus coeli ac ſiderum, et, quid Dii velint, ſcire profitentur. Docent multa nobiliſſimos gentis clam et diu, vicenis annis, aut in ſpecu, aut in abditis ſaltibus. Unum ex his, quae praecipiunt, in vulgus effluxit, videlicet, ut forent ad bella meliores, aeternas eſſe animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt apta viventibus. Olim negotiorum ratio etiam et exactio crediti deferebatur ad inferos: erantque, qui ſe in rogos ſuorum, velut una victuri, libenter
4 immitterent. Regio, quam incolunt, omnis

Comata Gallia. Populorum tria ſumma nomina ſunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam a Pyrenaeo ad Garumnam, Aquitani; ab eo ad Sequanam, Celtae; inde ad Rhenum pertinent Belgae. Aquitanorum clariſſimi ſunt Auſci; Celtarum, Aedui; Belgarum, Treveri: urbesque opulentiſſimae, in Treveris Auguſta, in Aeduis Auguſtodunum, in Auſcis Elimberrum. Garumna ex Pyre- 5
naeo monte delapſus, niſi cum hiberno imbre, aut ſolutis nivibus intumuit, diu vadoſus et vix navigabilis fertur. At ubi obvius Oceani exaeſtuantis acceſſibus adauctus eſt, iisdemque retro remeantibus, ſuas illiusque aquas agit; aliquantum plenior, et quanto magis procedit, eo latior fit, ad poſtremum magni freti ſimilis; nec maiora tantum navigia tolerat, verum etiam, more pelagi ſaevientis, exſurgens, iactat navigantes atrociter, utique ſi alio ventus, alio unda praecipitat. In eo 6
eſt inſula, Antros nomine, quam pendere et adtolli aquis increſcentibus ideo incolae exiſtimant, quia, cum videantur editiora, quis obiacet, ubi ſe fluctus implevit, illa operit, haec, ut prius, tantum ambitur: et quod ea, quibus ante ripae collesque, ne cernerentur, obſtiterant, tunc velut ex loco ſuperiore per-

7 ſpicua ſunt. A Garumnae exitu latus illud incipit terrae, procurrentis in pelagus, et ora Cantabricis adverſa litoribus, aliis populis media eius habitantibus, ab Santonis ad Oſismios usque deflexa. Ab illis enim iterum ad ſeptemtriones frons litorum reſpicit, pertinetque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Geſoriacum vocant,
8 quidquam notius habet. Rhenus, ab Alpibus decidens, prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acronium. Mox diu ſolidus, et certo alveo lapſus, haud procul a mari huc et illuc diſpergitur, ſed ad ſiniſtram amnis etiam tum, et donec effluat, Rhenus; ad dextram primo anguſtus et ſui ſimilis, poſt ripis longe ac late recedentibus, iam non amnis, ſed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, eiusdemque nominis inſulam amplexus, fit iterum artior, iterumque fluvius emittitur.

CAP. III.

GERMANIA.

1 Germania hinc ripis eius usque ad Alpes, a meridie ipſis Alpibus, ab oriente Sarmaticarum confinio gentium, qua ſeptemtrionem

ſpectat, Oceano litore obducta eſt. Qui habi- 2
tant, immanes ſunt animis atque corporibus, et ad inſitam feritatem vaſte utraque exercent, bellando animos, corpora ad conſuetudinem laborum, maxime frigoris. Nudi agunt, antequam puberes ſint; et longiſſima apud eos pueritia eſt: viri ſagis velantur, aut libris arborum, quamvis ſaeva hieme. Nandi non patientia tantum illis, ſtudium etiam eſt. Bella cum finitimis gerunt: cauſas eorum ex libidine arceſſunt; neque imperitandi prolatandique, quae poſſident, (nam ne illa quidem enixe colunt) ſed ut circa ipſos, quae iacent, vaſta ſint. Ius in viribus habent, adeo ut ne latrocinii quidem pudeat, tantum hoſpitibus boni, mitesque ſupplicibus. Victu ita aſperi incultique, ut cruda etiam carne veſcantur, aut recenti, aut cum rigentem in ipſis pecudum ferarumque coriis, manibus pedibusque ſubigendo, renovarunt. Terra ipſa 3
multis impedita fluminibus, multis montibus aſpera, et magna ex parte ſilvis ac paludibus invia. Paludum, Sueſia, Eſtia et Melſiagum, maximae: ſilvarum, Hercynia et aliquot ſunt, quae nomen habent; ſed illa dierum ſexaginta iter occupans, ut maior aliis, ita et notior. Montium altiſſimi Taunus et Rhetico; niſi

quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium, Danubius et Rhodanus; in Rhenum, Moenis et Lupia; in Oceanum, Amiſius, Viſurgis et Albis cla-
4 riſſimi. Super Albim Codanus, ingens ſinus, magnis parvisque inſulis refertus eſt. Hac re mare, quod gremio litorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam mari ſimile; verum aquis paſſim interfluentibus ac ſaepe transgreſſis, vagum atque diffuſum, facie amnium, ſpargitur: qua litora adtingit, ripis contentum inſularum non longe diſtantibus, et ubique paene tantumdem, it anguſtum et par freto; curvansque ſe ſubinde, longo ſupercilio inflexum eſt. In eo ſunt Cimbri et Teutoni: ultra, ultimi Germaniae Hermiones.

CAP. IV.

SARMATIA.

1 Sarmatia intus, quam ad mare, latior, ab his, quae ſequuntur, Viſtula amne discreta, qua retro abit, usque ad Iſtrum flumen immittitur. Gens habitu armisque Parthicae proxima, verum ut caeli aſperioris, ita ingenii. Non ſe urbibus tenent, et ne ſtatis quidem
2 ſedibus. Ut invitavere pabula, ut cedens et

ſequens hoſtis exigit, ita res opesque ſecum trahens, ſemper caſtra habitant; bellatrix, libera, indomita, et usque eo immanis atque atrox, ut feminae etiam cum viris bella ineant; atque ut habiles ſint, natis ſtatim dextra aduritur mamma: inde expedita in ictus manus, quae exſeritur, virile ſit pectus. Arcus tendere, equitare, venari, puellaria penſa ſunt: ferire hoſtem, adultarum ſtipendium eſt; adeo ut non percuſſiſſe, pro flagitio habeatur, ſitque eis poenae virginitas. 3

CAP. V.

SCYTHIA.

Inde Aſiae confinia, niſi ubi perpetuae hiemes ſedent et intolerabilis rigor. Scythici populi incolunt, fere omnes etiam in unum Bergae adpellati. In Aſiatico litore primi Hyperborei, ſuper Aquilonem Rhipaeosque montes, ſub ipſo ſiderum cardine iacent: ubi ſol non quotidie, ut nobis, ſed primum verno aequinoctio exortus, auctumnali demum occidit: et ideo ſex menſibus dies, et totidem aliis nox usque continua eſt. Terra auguſta, aprica, per ſe fertilis. Cultores iuſtiſſimi, et diutius, quam ulli mortalium, et beatius 1 2

vivunt. Quippe feſto ſemper otio laeti non bella novere, non iurgia; ſacris operati, maxime Apollinis, quorum primitias Delon miſiſſe, initio per virgines ſuas, deinde per populos, ſubinde tradentes ulterioribus, moremque eum diu, et donec vitio gentium temeratus eſt, ſervaſſe referuntur. Habitant lucos ſilvasque, et ubi eos vivendi ſatietas magis, quam taedium, cepit, hilares, redimiti ſertis, ſemet ipſi in pelagus ex certa rupe praecipites dant. Id eis funus eximium eſt.

3 Mare Caſpium, ut anguſto, ita longo etiam freto, primum terras, quaſi fluvius, irrumpit: atque ubi recto alveo influxit, in tres ſinus diffunditur; contra os ipſum in Hyrcanum, ad ſiniſtram in Scythicum, ad dextram in eum, quem proprie et totius nomine Caſpium adpellant: omne atrox, ſaevum, ſine portubus, procellis undique expoſitum; ac belluis magis, quam cetera, refertum, et ideo minus

4 navigabile. Ad introëuntium dextram Scythae Nomades, freti litoribus, inſident. Intus ſunt ad Caſpium ſinum Caſpii et Amazones, ſed quas Sauromatidas adpellant: ad Hyrcanum Albani, et Moſchi, et Hyrcani: in Scythico Amardi, et Paeſicae, et iam ad fretum Derbices. Multi in eo ſinu magni parvique amnes

fluunt: ſed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alveo deſcendit, duobus exit in Caſpium Caſius. Araxes Tauri latere demiſ- 5
ſus, quoad campos Armeniae ſecat, labitur placidus et ſilens, neque, in utram partem eat, quanquam intuearis, manifeſtus: cum in aſperiora devenit, hinc atque illinc rupibus preſſus, et quanto anguſtior, tanto magis pernix, frangit ſe ſubinde ad obpoſita cautium: atque ob id ingenti cum murmure ſonansque devolvitur, adeo citus, ut, qua ex praecipiti in ſubiecta caſurus eſt, non declinet ſtatim undam, ſed ultra quam canalem habet, evehat, plus iugeri ſpatio ſublimis, et aquis pendentibus ſemet ipſe ſine alveo ferens: deinde ubi incurvus arcuatoque amne deſcendit, ſit tranquillus, iterumque per campos tacitus et vix fluens, in id litus elabitur. Cyrus et Cambyſes, ex radicibus Coraxici 6
montis vicinis fontibus editi, in diverſa abeunt, perque Iberas et Hyrcanos diu et multum diſtantibus alveis defluunt: poſt non longe a mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum ſinum uno ore perveniunt. Iaxartes et Oxos per deſerta Scythiae ex Sugdianorum regionibus in Scythicum exeunt; ille ſuo fonte grandis, hic incurſu aliorum grandior,

et aliquamdiu ad occaſum ab oriente excurrens, iuxta Dahas primum inflectitur: curſuque ad ſeptemtrionem converſo, inter Amar-
7 dos et Paeſicas os aperit. Silvae alia quoque dira animalia, verum et tigres ferunt, utique Hyrcaniae; ſaevum ferarum genus, et usque eo pernix, ut illis longe quoque progreſſum equitem conſequi, nec tantum ſemel, ſed aliquotiens etiam curſu, unde coeperit, ſubinde repetito, ſolitum et facile ſit. Cauſa ex eo eſt, quod, ubi ille interceptos earum catulos citus coepit avehere, et, rabiem appropinquantium aſtu fruſtraturus, unum de pluribus omiſit, hae proiectum excipiunt, et ad cubilia ſua referunt, rurſumque et ſaepius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quam adire audeant, profugus
8 raptor evadat. Ultra Caſpium ſinum quidnam eſſet, ambiguum aliquamdiu fuit; idemne Oceanus, an Tellus infeſta frigoribus, ſine ambitu ac fine fine proiecta. Sed praeter Phyſicos Homerumque, qui univerſum Orbem mari circumfuſum eſſe dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior, ita auctoritate certior; teſtem autem rei Q. Metellum Celerem adiicit, eumque ita retuliſſe commemorat: Cum Galliae pro conſule praeeſſet, Indos

quosdam a rege Boiorum dono ſibi datos; unde in eas terras deveniſſent, requirendo cognoſſe, vi tempeſtatum ex Indicis aequoribus abreptos, emenſosque, quae intererant, tandem in Germaniae litora exiiſſe. Reſtat ergo pelagus; ſed reliqua lateris eiusdem adſiduo gelu durantur, et ideo deſerta ſunt.

CAP. VI.

Hiſpaniae exterioris et ſeptemtrionalis Oceani inſulae.

His oris, quas angulo Baeticae adhuc us- 1
que perſtrinximus, multae ignobiles inſulae, et ſine nominibus etiam, adiacent: ſed earum, quas praeterire non libeat, Gades fretum adtingit; eaque anguſto ſpatio, et, veluti flumine, a continenti abſciſſa, qua terris propior eſt, paene rectam ripam agit: qua Oceanum ſpectat, duobus promontoriis evecta in altum, medium litus abducit, et fert in altero cornu eiusdem nominis urbem opulentam, in altero templum Aegyptii Herculis, conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre. Tyrii conſtituere: cur ſanctum ſit, oſſa eius ibi ſita efficiunt: annorum, quis manet numerus, ab Iliaca tempeſtate principia ſunt:

2 opes tempus aluit. In Luſitania Erythia eſt, quam Geryonae habitatam accepimus, aliaeque ſine certis nominibus; adeo agri fertiles, ut, cum ſemel ſata frumenta ſint, ſubinde recidivis ſeminibus ſegetem novantibus, ſeptem minimum, interdum plures etiam meſſes ferant. In Celticis aliquot ſunt, quas, quia plumbo abundant, uno omnes nomine Caſſi-
3 teridas adpellant. Sena in Britannico mari, Oſismicis adverſa litoribus, Gallici numinis oraculo inſignis eſt: cuius antiſtites, perpetua virginitate ſanctae, numero novem eſſe traduntur: Gallicenas vocant, putantque ingeniis ſingularibus praeditas, maria ac ventos concitare carminibus, ſeque, in quae velint animalia, vertere, ſanare, quae apud alios inſanabilia ſunt, ſcire ventura et praedicare: ſed non niſi deditas navigantibus, et in id
4 tantum, ut ſe conſulerent, profectis. Britannia qualis ſit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clauſam aperit ecce Principum maximus, nec indomitarum modo ante ſe, verum ignotarum quoque gentium victor, propriarum rerum fidem ut bello adfectavit, ita triumpho declaraturus portat. Ceterum, ut adhuc habuimus, inter ſeptemtrionem occi-

dentemque proiecta, grandi angulo Rheni oſtia proſpicit; deinde obliqua retro latera abſtrahit, altero Galliam, altero Germaniam ſpectans: tum rurſus perpetuo margine directi litoris ab tergore obducta, iterum ſe in diverſos angulos cuneat triquetra, et Siciliae maxime ſimilis, plana, ingens, fecunda, verum his, quae pecora, quam homines, benignius alant. Fert nemora, lacus ac praegrandia 5
flumina, alternis motibus modo in pelagus, modo retro fluentia, et quaedam gemmas margaritasque generantia. Fert populos regesque populorum: ſed ſunt inculti omnes, atque ut longius a continenti abſunt, ita magis aliarum opum ignari, tantum pecore ac finibus dites, incertum ob decorem, an quid aliud, vitro corpora infecti. Cauſas tamen bellorum et bella contrahunt, ac ſe frequenter invicem infeſtant, maxime imperitandi cupidine, ſtudioque ea prolatandi, quae poſſident. Dimicant non equitatu modo, aut pedite, verum et bigis et curribus, Gallice armati: covinnos vocant, quorum falcatis axibus utuntur. Super Britanniam Iuverna eſt, 6
paene par ſpatio, ſed utrimque aequali tractu litorum oblonga: caeli ad maturanda ſemina iniqui, verum adeo luxurioſa herbis, non

laetis modo, ſed etiam dulcibus, ut ſe exigua parte diei pecora impleant, et niſi pabulo prohibeantur, diutius paſta diſſiliant. Cultores eius inconditi ſunt, et omnium virtutum ignari magis, quam aliae gentes; pietatis ad-
7 modum expertes. Triginta ſunt Orcades, anguſtis inter ſe diductae ſpatiis: ſeptem Haemodae, contra Germaniam vectae. In illo ſinu, quem Codanum diximus, ex inſulis Scandinovia, quam adhuc Teutoni tenent, ut fecunditate alias, ita magnitudine anteſtat.
8 Quae Sarmatis adverſa ſunt, ob alternos acceſſus recurſusque pelagi, et quod ſpatia, quis diſtant, modo operiuntur undis, modo nuda ſunt, alias inſulae videntur, alias una et continens terra. In his eſſe Oaeonas, qui ovis avium paluſtrium et avenis tantum alantur: eſſe equinis pedibus Hippopodas, et Panotos, quibus magnae aures, et ad ambiendum corpus omne patulae, nudis alioquin pro veſte ſint, praeterquam quod fabulis traditur, auctores etiam, quos ſequi non pigeat, invenio.
9 Thule Bergarum litori obpoſita eſt, Graiis et noſtris celebrata carminibus. In ea, quod ibi ſol longe occaſurus exſurgit, breves utique noctes ſunt: ſed per hiemem, ſicut aliubi, obſcurae; aeſtate lucidae, quod per id tempus

iam ſe altius evehens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per ſolſtitium vero nullae, quod tunc iam manifeſtior non fulgorem modo, ſed ſui quoque partem maximam oſtentat. Talge in Caſpio mari, ſine cultu fertilis, omni fruge ac fructibus abundans: ſed vicini populi, quae gignuntur, adtingere nefas et pro ſacrilegio habent, Diis parata exiſtimantes, Diisque ſervanda. Aliquot et illis Oris, quas deſertas diximus, aeque deſertae adiacent, quas ſine propriis nominibus Scythicas vocant. 10

CAP. VII.

Oceanus Eous et India.

Ab his in Eoum mare curſus inflectitur, 1
inque oram terrae, ſpectantis orientem. Pertinet haec a Scythico promontorio ad Colida: primumque omnis eſt invia; deinde ob immanitatem habitantium inculta. Scythae ſunt Androphagi et Sacae, diſtincti regione, quia feris ſcatet, inhabitabili. Vaſta deinde iterum loca belluae infeſtant, usque ad montem mari imminentem, nomine Tabim. Longe ab eo Taurus adtollitur. Seres interſunt; genus plenum iuſtitiae, et commercio, quod

rebus in ſolitudine relictis abſens peragit, no-
2 tiſſimum. India non Eoo tantum adpoſita pelago, ſed et ei, quod ad meridiem ſpectans Indicum diximus, et hinc Tauri iugis, ab occidente Indo finita, tantum ſpatium litoris occupat, quantum per quadraginta dies noctesque velificantibus curſus eſt; ita multum a noſtris abducta regionibus, ut in aliqua parte eius neuter ſeptemtrio adpareat, aliterque, quam in aliis oris, umbrae rerum ad meridiem iaceant. Ceterum fertilis, et vario genere hominum aliorumque animalium ſcatet. Alit formicas non minus maximas canibus; quas more Gryphorum aurum penitus egeſtum cum ſumma pernicie adtingentium cuſtodire commemorant: immanes et ſerpentes, aliqui ut elephantos morſu atque ambitu corporis adficiant. Tam pinguis alicubi et tam feracis ſoli, ut in eo mella frondibus defluant, lanas ſilvae ferant, arundinum fiſſa internodia, veluti navia, binos, et quaedam ternos etiam
3 vehant. Cultorum habitus moresque diſſimiles. Lino alii veſtiuntur, aut lanis, quas diximus; alii avium ferarumque pellibus: pars nudi agunt; pars tantum obſcoena velati: alii humiles parvique; alii ita proceri et corpore ingentes, ut elephantis etiam, et ibi maximis,

ſicut nos equis, facile atque habiliter utantur. Quidam nullum animal occidere, nulla carne veſci optimum exiſtimant: quosdam tantum piſces alunt. Quidam proximi parentes, priusquam annis, aut aegritudine in maciem eant, velut hoſtias caedunt: caeſorumque viſceribus epulari fas et maxime pium eſt. At ubi ſenectus, aut morbus inceſſit, procul a ceteris abeunt, mortemque in ſolitudine nihil anxii exſpectant. Prudentiores, et quibus ars ſtudiumque ſapientiae contingit, non exſpectant eam, ſed ingerendo ſemet ignibus, laeti et cum gloria arceſſunt. Urbium, quas incolunt 4
(ſunt autem plurimae) Nyſa eſt clariſſima et maxima: montium Meros, Iovi ſacer. Famam hinc praecipuam habent; in illa genitum, in huius ſpecu Liberum patrem arbitrantur eſſe nutritum: unde Graecis auctoribus, ut femori Iovis inſitum dicerent, aut materia ingeſſit, aut error. Oras tenent ab Indo ad Gangen 5
Palibothri, a Gange ad Colida (niſi ubi magis, quam ut habitetur, exaeſtuat) atrae gentes et quodammodo Aethiopes. A Colide ad Cudum recta ſunt litora, timidique populi, et marinis opibus affatim dites. Tamos promontorium 6
eſt, quod Taurus adtollit: Colis alterius partis angulus, initiumque lateris, ad meridiem

verſi: Ganges et Indus amnes. Ille multis fontibus in Hemode, Indiae monte, conceptus, ſimul unum alveum fecit, ſit omnium maximus, et alicubi latius, quando anguſtiſſime fluit, decem milia paſſuum patens, in ſeptem ora diſpergitur. Indus ex monte Paropamiſo exortus, et alia quidem flumina admittit, ſed clariſſima, Cophen, Aceſinen, Hydaſpen: conceptamque pluribus alveis undam lato ſpatio trahit. Hinc paene Gangen magnitudine exaequat. Poſt ubi aliquot ſaepe magnis flexibus cinxit iugum ingens, iterum rectus ſolidusque deſcendit: donec ad laevam dextramque ſe diducens, duobus oſtiis, longe diſtan-
7 tibus, exeat. Ad Tamum inſula eſt Chryſe, ad Gangen Argyre: altera aurei ſoli (ita veteres tradidere) altera argentei: atque, ut maxime videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo fabula eſt. Taprobane, aut grandis admodum inſula, aut prima pars Orbis alterius Hipparcho dicitur: ſed quia habitatur, nec quisquam circum eam iſſe traditur, prope ve-
8 rum eſt. Contra Indi oſtia illa ſunt, quae vocant Solis, adeo inhabitabilia, ut ingreſſos vis circumfuſi aëris exanimet confeſtim; et inter ipſa oſtia Patalene. Regio ob aeſtus intolerabilis, alicubi cultoribus egens, inde

ad principia Rubri maris pertinet. Ipſa invia atque deſerta; humus cineri magis ſit, quam pulveri ſimilis; ideoque per eam rara et non grandia flumina emanant, quorum Tuberonem et Aruſacen notiſſima accepimus.

CAP. VIII.

Mare Rubrum, ac uterque huius Sinus Perſicus et Arabicus.

Rubrum mare Graeci, ſive quia eius colo- 1
ris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit, Ἐρυθρὰν θάλασσαν adpellant: procelloſum, aſperum mare, profundum, et magnorum animalium magis, quam cetera, capax. Primo recedentes oras aequabiliter impellit; et ut non intret interius, aliquantum patens ſinus arcuat. Sed quas ripas inflexerat, bis irrumpit, duosque iterum ſinus aperit. Perſicus voca- 2
tur dictis regionibus propior; Arabicus ulterior. Perſicus, qua mare accipit, utrimque rectis lateribus grande oſtium, quaſi cervice, complectitur: dein terris in omnem partem vaſte et aequa portione cedentibus, magno litorum orbe pelagus incingens, reddit formam capitis humani. Arabici et os artius et 3
latitudo minor eſt, maior aliquanto receſſus,

et multo magis longa latera. Init penitus introrſusque, dum Aegyptum paene et montem Arabiae Caſium adtingit, quodam faſtigio minus ac minus latus, et, quo magis penetrat,
4 anguſtior. Ab his, quae diximus, ad ſinum Perſicum (niſi ubi Chelonophagi morantur) deſerta ſunt. In ipſo Carmanii navigantium dextra poſiti, ſine veſte ac fruge, ſine pecore ac ſedibus, piſcium cute ſe velant, carne veſcuntur, praeter capita toto corpore hirſuti. Interiora Cedroſii, dehinc Perſae habitant. Sabis per Carmanios, ſupra Andanis et Coros
5 effluunt. In parte, quae pelagi oſtio adverſa eſt, Babyloniorum ſines Chaldaeorumque ſunt, et duo clari amnes, Tigris Perſidi propior, ulterior Euphrates. Tigris ut natus eſt, ita deſcendens usque in litora permeat: Euphrates, immani ore aperto, non exit tantum, unde oritur, ſed et vaſte quoque decidit; nec ſecat continuo agros, ſed late diffuſus in ſtagna, diu ſedentibus aquis piger, et ſine alveo patulus, poſt, ubi marginem rupit, vere fluvius, acceptisque ripis celer et fremens, per Armenios et Cappadocas occidentem petit; ni Taurus obſtet, in Noſtra maria venturus. Inde ad meridiem avertitur, et primum Syros, tum Arabas ingreſſus, non

perdurat in pelagus, verum ingens modo et navigabilis, inde tenuis rivus, deſpectus emoritur, et nusquam manifeſto exitu effluit, ut alii amnes, ſed deficit. Alterum latus ambit 6
plaga, quae inter utrumque pelagus excurrit. Arabia dicitur, cognomen Eudaemon, anguſta, verum cinnami et turis aliorumque odorum maxime ferax. Maiorem Sabaei tenent partem, oſtio proximam et Carmaniis contrariam Macae. Frontem, quae inter oſtia oſtenditur, ſilvae cautesque exaſperant. Aliquot ſunt in medio inſulae ſitae: Ogyris, quod in ea Erythrae regis monumentum eſt, magis clara, quam ceterae. Alterum ſinum undique Ara- 7
bes incingunt. Ab ea parte, quae introëuntibus dextra eſt, urbes ſunt, Cana, et Arabia, et Gadamus: in altera, ab intimo angulo prima, Berenice, inter Heroopoliticum et Strobilum: deinde inter promontoria Μυὸς ὄρμον et Coloba, Philoteris et Ptolemais: ultra Arſinoe et alia Berenice: tum ſilva, quae hebenum odoresque generat, et manu factus amnis, ideoque referendus, quod ex Nili alveo dioryge adductus. Extra ſinum, verum in flexu 8
tamen, etiam non modico, Rubri maris, pars beſtiis infeſta ideoque deſerta eſt: partem Panchaei habitant, quos ex facto, quia ſerpen-

tibus veſcuntur, Ophiophagos vocant. Fuere interius Pygmaei, minutum genus, et quod pro ſatis frugibus contra grues dimicando
9 defecit. Sunt multa volucrum, multa ſerpentum genera: de ſerpentibus memorandi maxime, quos parvos admodum et veneni praeſentis, certo anni tempore ex limo concretarum paludum emergere, in magno examine volantes Aegyptum tendere, atque in ipſo introitu finium ab avibus, quas Ibidas adpellant, adverſo agmine excipi pugnaque
10 confici traditum eſt. De volucribus praecipue referenda Phoenix, ſemper unica; non enim coitu concipitur, partuve generatur: ſed ubi quingentorum annorum aevo perpetua duravit, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat ſolviturque: deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur: cum adolevit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrha Aegyptum exportat, atque in urbe, quam Solis adpellant, fragrantibus archio buſtis inferens, memorando funere conſecrat. Ipſum promontorium, quo id mare clauditur, a Ceraunüis ſaltibus invium eſt.

CAP. IX.

AETHIOPIA.

Aethiopes ultra ſedent; Meroën habent 1
terram, quam Nilus primo ambitu amplexus inſulam facit: pars, quia vitae ſpatium dimidio fere, quam nos, longius agunt, Macrobii; pars, quia ex Aegypto advenere, dicti Automoloe: pulchri forma, aequi corporis, parumque venerati opes, veluti optimarum alumni virtutum. In illis mos eſt, cui potiſſimum pareant, ſpecie ac viribus legere. Apud hos plus auri, quam aeris eſt: ideo quod minus eſt, pretioſius cenſent. Aere exornantur, auro vincula fontium fabricant. Eſt locus 2
adparatis epulis ſemper refertus; et quia, ut libet veſci volentibus, licet, ἡλίου τράπεζαν adpellant; et quae paſſim adpoſita ſunt, adfirmant innaſci ſubinde divinitus. Eſt lacus, quo perfuſa corpora, quaſi uncta, pernitent: bibitur idem; adeo eſt liquidus, et ad ſuſtinenda, quae incidunt, aut immittuntur, infirmus, ut folia etiam proximis deciſa frondibus, non innatantia ferat, ſed peſſum et penitus accipiat. Sunt et ſaeviſſimae ferae, omni colore varii Lycaones, et quales accepimus, Sphinges. Sunt mirae aves cornutae Trago-

papyrum et minora quidem, eiusdem tamen generis animalia. Aliis amnibus in Oceanum vergentibus, solus in mediam regionem et ad orientem abit: et, quonam exeat, incertum est. Inde colligitur, Nilum hoc fonte conceptum, actumque aliquamdiu per invia, et ideo ignotum, iterum se, ubi ad Eoa possit, ostendere: ceterum spatio, quo absconditur, effici, ut hic alio cedere, ille aliunde videatur exsurgere.

9 Catoblebas, non grandis fera, verum grande et praegrave caput aegre sustinens, atque ob id in terram plurimum ore conversa, apud hos gignitur: ob vim singularem magis etiam referenda, quod, cum impetu morsuque nihil unquam saeviat, oculos eius vidisse mortiferum. Contra eosdem sunt insulae Gorgades, domus (ut aiunt) aliquando Gorgonum. Ipsae terrae promontorio, cui Ἑσπέρου Κέρας nomen est, finiuntur.

CAP. X.

Atlanticum Mare et huic adsita Aethiopiae ac Mauretaniae pars.

1 Inde incipit frons illa, quae in occidentem vergens mari Atlantico abluitur. Prima eius Aethiopes tenent, media nulli; nam aut ex-

uſta ſunt, aut arenis obducta, aut infeſta ſerpentibus. Exuſtis inſulae adpoſitae ſunt, quas Heſperidas tenuiſſe memoratur. In arenis mons eſt Atlas, denſe conſurgens, verum inciſis undique rupibus praeceps, invius, et, quo magis ſurgit, exilior; qui quod altius, quam conſpici poteſt, usque in nubila erigitur, caelum et ſidera non tangere modo vertice, ſed ſuſtinere quoque dictus eſt. Contra Fortu- 2
natae inſulae abundant ſua ſponte genitis, et ſubinde aliis ſuper aliis innaſcentibus nihil ſollicitos alunt, beatius quam aliae urbes excultae. Una ſingulari duorum fontium ingenio maxime inſignis: alterum qui guſtavere, riſu ſolvuntur in mortem; ita adfectis remedium eſt ex altero bibere. Ab eo tractu, quem 3
ferae infeſtant, proximi ſunt Himantopodes, inflexi lentis cruribus, quos ſerpere potius, quam ingredi referunt: deinde Pharuſii, aliquando tendente ad Heſperidas Hercule dites; nunc inculti, et, niſi quod pecore aluntur, admodum inopes. Hinc iam laetiores agri 4
amoenique ſaltus citro, terebintho et ebore abundant. Nigritarum Gaetulorumque paſſim vagantium ne litora quidem infecunda ſunt, purpura et murice efficaciſſimis ad tingendum; et ubique, quae tinxere, clariſſima.

5 Reliqua eſt ora Mauretaniae exterior, et in finem ſui faſtigantis ſe Africae noviſſimus angulus; iisdem opibus, ſed minus dives. Ceterum ſolo etiam ditior et adeo fertilis eſt, ut frugum genera, non cum ſerantur modo, benigniſſime procreet; ſed quaedam profundat etiam non ſata. Hic Antaeus regnaſſe dicitur, et (ſignum quod fabulae clarum prorſus) oſtenditur, collis modicus reſupini hominis imagine iacentis, illius, ut incolae ferunt, tumulus: unde ubi aliqua pars eruta eſt, ſolent imbres ſpargi, et, donec effoſſa repleantur,
6 eveniunt. Hominum pars ſilvas frequentant, minus, quam quos modo diximus, vagi: pars in urbibus agunt; quarum, ut inter parvas, opulentiſſimae habentur, procul a mari Gilda, Volubilis, Priſciana: propius autem Sala et Lixo flumini Lixo proxima. Ultra eſt colonia et fluvius Zilia, et, unde initium fecimus, Ἀμπελουσία in Noſtrum iam fretum vergens promontorium, Operis huius atque Atlantici litoris terminus.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

Prooemium - - - pag. 1.

LIBER I.

Cap. 1. De Mundo et Partibus eius - 2. 3. 4.
Cap. 2. Brevis Afiae deſcriptio - - 4—6.
Cap. 3. Brevis Europae deſcriptio - 7. 8.
Cap. 4. Brevis Africae deſcriptio - 8. 9. 10.
Cap. 5. Particularis Africae deſcriptio. Mauretania 10. 11.
Cap. 6. Numidia - - 12.
Cap. 7. Africa proprie dicta - 13. 14.
Cap. 8. Cyrenaica - - 15—17.
Cap. 9. Particularis Afiae deſcriptio. Aegyptus 17—22.
Cap. 10. Arabia - - - 22.
Cap. 11. Syria - - 22. 23.
Cap. 12. Phoenice - - 24. 25.
Cap. 13. Cilicia - - - 25—27.
Cap. 14. Pamphylia - - 27. 28.
Cap. 15. Lycia - - - 28. 29.
Cap. 16. Caria - - 29. 30.
Cap. 17. Ionia - - - 30. 31.
Cap. 18. Aeolis - - 31—33.
Cap. 19. Bithynia, Paphlagonia, aliaeque Ponticae et Maeoticae gentes in ora Afiatica - 34—39.

LIBER II.

Cap. 1. Scythia Europaea - pag. 40 — 45.
Cap. 2. Thracia - - 45 — 51.
Cap. 3. Macedonia, Graecia, Peloponneſus, Epirus et Illyricum - - 51 — 57.
Cap. 4. Italia - - - 58 — 62.
Cap. 5. Gallia Narbonenſis - 62 — 65.
Cap. 6. Hiſpaniae ora citerior - 65 — 68.
Cap. 7. Mediterranei maris inſulae - 68 — 76.

LIBER III.

Cap. 1. Hiſpaniae ora exterior - 77 — 81.
Cap. 2. Galliae ora exterior - - 81 — 84.
Cap. 3. Germania - - 84 — 86.
Cap. 4. Sarmatia - - - 86. 87.
Cap. 5. Scythia - - - 87 — 91.
Cap. 6. Hiſpaniae exterioris et ſeptemtrionalis Oceani inſulae - - - 91 — 95.
Cap. 7. Oceanus Eous et India - 95 — 99.
Cap. 8. Mare Rubrum et uterque Sinus Perſicus et Arabicus - - - 99 — 102.
Cap. 9. Aethiopia - - 103 — 106.
Cap. 10. Atlanticum Mare et huic adſita Aethiopiae ac Mauretaniae pars - 106 — 108.

INDEX VERBORUM

IN

POMPONIUM MELAM.

Ubi tres numeri adpoſiti ſunt, Latinus denotat *librum*, alter minor *caput*, tertius capitis *paragraphum*.

Ubi duo cernuntur, Latinus prior reſpicit *Volumen*, poſterior minor eius *Partem*.

A.

A. Commutantur *a* et *ab* V. II. 1. p. 34. 50. alibi, et quae notantur a Stavereno in Nepot. Miltiad. 3, 3. et in Curtii indice. Sic *ab* pro *a* ſaepe reſtituit Oudendorpius in Iulio Caeſare et Hirtio.

— et *ci* V. II. 1. p. 183.

— et *e* in nominativis multorum nominum propriorum, ut *Europa* et *Europe*, *Pella* et *Pelle*. V. II. 1. p. 52. II. 1. p. 48. II. 2. p. 158.

— et *e* in ablativis ſubſtantivorum, quorum nominativus promiſcue exit in *a* et *es*, ut *ſegnitia* et *ſegnities*. V. II. 1. p. 212 ſq.

— et *o*. V. II. 1. p. 25 ſqq. et infra *ob*.

Promiſcue in *a* et *e* terminantur multa nomina, quae ex uſu cognoſci debent, ut *Europa* et *Europe*. V. ſupra. Alia enim retinent *a*, ut *Africa*.

— in *a*, *am* et *em*, in quibus vel uſus Graecus dominatur, vel nominativi diverſa forma ſpectari debet. Sic *Ancona* dicitur, *Anconem* et *Anconam*. V. II. 2. p. 296 ſq. et cf. Staveren. ad Nepot. Themiſt. 2, 8. et Tennul. ad Frontin. 3, 7, 4. ut taceam alios.

— *a*, *ea* et *ia*, ut *Aegilia* et *Aegila*. V. II. 2. p. 527. ut alia. Sic *Mantina* et *Mantinea*, *Apama* et *Apamea*. Cf. Euſtath. ad Homer. Il. 2, 607. p. 228. ſ. 302.

a in accuſativo Graeco apud Latinos poſterioris maxime aevi transit in nominativum, ut *Narbona*, *Salamina*, *Ancona* — V. III. 2. p. 461. 699. Cf. Bentleius ad Horat. ſerm. 1, 4, 100. qui in bonis auctoribus talia ferenda negat, et Oudendorp. ad Iul. Caeſ. de B. G. 3, 20.

a in neutris numeri pluralis apud Graecos femininum ſaepe faciunt Latini numeri ſingularis, ut *Megara*, *ae*, *Patara* — V. II. 1. p. 478. II. 2. p. 223.

a neutrum in Graecis feminina forma exhibent paſſim Latini, ut *Delta*, *Deltam*. V. II. 1. p. 317.

a praeponitur nominibus quibusdam, velut articulus. Sic *Parni* et *Aparni*, *Mardi* et *Amardi*. V. III, 3. p. 141.

a Graecorum in mediis vocibus plerumque mutatur a Latinis in *i*, ut Μασσαλία, Κατάνη — V. II. 2. p. 570 ſq.

a Cerauniis ſaltibus, *i. e. propter* 3, 8, 10.

a ceteris multo aliter, *i. e.* quam ceteri 1, 9, 6.

a quarta vigilia 1, 10.

ab et *ad* mutantur. V. *abluere*, *abduci* et alia.

ab et *ob*. V. *ablatus*, *abortus*, *abduco*.

ab his, *i. e. poſt has inſulas*, *poſt haec loca*, *poſt hos populos*. V. 3, 7, 1. 1, 18, 5. 3, 4, 1. 3, 8, 4. 1, 2, 4. 3, 2, 7. Cf. II. 2. p. 536.

abdere; abditi ſaltus 3, 2, 3. ardentia ſinu abdere 3, 9, 4.

abducere et *adducere*; item *obducere*. V. ſuis locis.

abducere i. e. retroagere, *retrahere*. Europa grandi receſſu abducitur 1, 3, 2. *antea retracta*, *cui obponitur prominens*. Baetica paullulum in ſemet abducitur 3, 1, 3. Luſitania ſe magis, quam Baetica, abducit 3, 1, 6. Gades inſula medium litus abducit 3, 6, 1. India multum a noſtris abducta regionibus *i. e. remota* 3, 7, 2. curſu in meridiem abducto (*de Rhodano*) 2, 5, 5.

abeſſe; Blemyis capita abſunt 1, 8, 10. longius a continenti abſunt (*de Britanniae populis*) 3, 6, 5.

abire i. e. procurrere, *proiici etiam alias*, *ut adiuncta docent*, *de quo v. ad Livium* 44, 10, 3. *Sic Noſter*, qua in altum abit *de Arabia* 1, 10. Pallene tota in altum abit 2, 2, 11. Luſitania primum ingenti impetu in altum abit 3, 1, 6. qua retro abit Sarmatia 3, 4, 1. ubi longe abit Italia 2, 4, 1. Alpes verſo impetu in orientem abeunt 2, 4, 10. Cyrus et Cambyſes in diverſa abeunt 3, 5, 6. Nuchul in orientem abit 3, 9, 8. Hiſpania ad occidentem abit 2, 6, 2. Haemos in tantum altitudinis abit, ut 2, 2, 2. Indi, ubi ſenectus — inceſſit, procul a ceteris abeunt 3, 7, 3. ſol altius abit 1, 9, 4. ſol hieme

altius abit 1, 9, 4. promontorium abit in paene inſulae faciem 1, 17, 3.

abigere; mare internum abigit vaſte cedentia litora 1, 1, 4.

ablativus; abſolutus, v. c. huius medio Terra ſublimis cingitur undique mari 1, 1, 2. Eteſiae nubes ſuper principia Nili imbre praecipitant 1, 9, 4. ora Aſiae cum alveo Nili amnis ripis deſcendit in pelagus 1, 2, 2. V. II. 1. p. 54. ora Europae forma litorum — Aſiae obpoſita eſt 1, 3, 1. V. II. 1. p. 157. *ubi ſimilia adferuntur exempla. De ablativo omiſſa praepoſitione ex v.* II. 1. p. 206. *Quem cum paſſivis poſitum caſum ablativum putant, omiſſa praepoſitione a, dativus potius eſt ex uſu Graeco, ut docent in primis verba* 2, 3, 2. calcatum Herculi ſolum. *V. dativus infra.*

ablativos conſequentiae paſſim Melae obtrudunt. V. II. 1. p. 29 ſq.

abluere; cinis non abluitur de aris, ſéd manet 2, 2, 10. *De commutatione cum adluo v. ſ. l.*

abolere; feritatis iam abolitae veſtigia 3, 2, 3.

abripere; vi tempeſtatum ex Indicis aequoribus abrepti 3, 5. f.

abscedere; ne illud quidem a vero nimium abceſſerit 1, 9, 4. Pontus contra minus, quam ad laevam et dextram abscedit 1, 19, 6. Hiſpania retro abceſſerat 3, 2, 1.

abſcindere; Sicilia freto maris Siculi abſciſſa eſt 2, 7, 14. inſula (*Gades*) a continenti abſciſſa 3, 6, 1. pari (campi) proximis abſciſſa 2, 5, 7. *Commutatur ſaepe in MSStis cum abſciſa, de quo v.* II. 2. *p.* 403. 562. *et quos indicat Munckerus ad Fulgent. mythol.* 1, 2. *p.* 32. *et* 3, 5. *p.* 111.

abscondere; amnis demerſus absconditur 1, 13, 3. ſpatium, quo absconditur Nuchul 3, 9, 8.

abſolvere; opus, quod ipſa ſui contemplatione pretium operae adtendentium abſolvit prooem. 1, i. e. *rependit operae in ſe conlocatae pretium.*

abſorbere; angues abſorbent ſupervolantes aves 1, 19, 3. grana frugum abſorbere dicuntur (*populi*) 3, 9, 4. *Nota de rebus aridis.* Cf. III. 3. p. 394.

abstrahere; Britannia obliqua retro latera abstrahit 3, 6, 4.

abundare; Arabia ture et odoribus abundat 1, 10. Hiſpania viris, equis, ferro — 2, 6, 2. Caſſiterides plumbo 3, 6, 2. Talge omni fruge ac fructibus 3, 6, 10. Fortunatae inſulae ſua ſponte genitis 3, 10, 2. ſaltus citro, terebintho et ebore 3, 10, 4.

ae et *at* commutantur V. II. 1. p. 7. 101. 428. II. 2. p. 4. 180. et alibi.

ae et *hae*, ut *acre* pro *hac re.* V. III. 3. p. 98.

ae non dicitur ante vocalem. V. II. 2. p. 253. 302. 314. Male

igitur ex vulgaribus inſcriptionibus libri 3. capp. 8. et 10. irrepſit *ac.*

academia; academiae antiſtes 1, 18, 1.

accedere; ſinus acceſſu aſper 2, 4, 7.

accendere; fons immerſas faces accendit 2, 3, 5.

acceptare; alia aliis locis cognomina acceptat (*de mari interno*) 1, 1, 5.

acceſſus; Rhodanus acceſſu aliorum amnium grandis 2, 5, 5. acceſſus alterni (*Oceani*) 3, 1, 1. Oceani exaeſtuantis acceſſus 3, 2, 5. alterni acceſſus recurſusque pelagi 3, 6, 8.

accipere; Europa primo ſinu accipit mare Aegaeum 1, 3, 3. qua Syrtis mare accipit 1, 7, 3. qua Perſicus ſinus mare accipit 3, 8, 2. *Sic notatur aditus, Gr.* στόμα, *ut diſerte Mela dicit* Sucroneńſis ſinus magno ſatis ore pelagus accipiens 2, 6, 6. quo (*ſpatio*) cum eſt acceptum (*mare*) 1, 1, 4. mare magno receſſu litorum acceptum 2, 3, 11. mare, quod gremio litorum accipitur 3, 3, 4. Pagaſaeus ſinus amnem Sperchion accipit 2, 3, 6. Rhodanus Lemanno lacu acceptus 2, 5, 5. Atacem accipit lacus Rubreſus nomine 2, 5, 6. Cyrus et Cambyſes eodem lacu accepti 3, 5, 6. Ponti angulus praetervectos accipit 2, 2, 5. lacus folia peſſum et penitus accipit 3, 9, 2. Aſia grandem ſinum accipit 1, 12, 4. ingreſſos lacus accipit 1, 19, 16. frons (*Luſitaniae*) modicum flexum accipit 3, 1, 7. finem ductus a Bosporo tractus accipit 1, 19, 12. Iſter accipit aliquot amnes 2, 1, 8. ſolutae nives largius defluunt, quam ripis accipi queant 1, 9, 4. plus, quam ſolet, accipit (*Nilus*) ibid. acceptis ripis vere fluvius 3, 8, 5. animalia ſpiritum accipientia 1, 9, 3. onera capitibus accipiunt (*Aegyptii*) 1, 9, 6. humili nomine accepta 2, 2, 7. quo facilius ſciri accipique poſſit prooem. 2. *Antea cognoſci. Sic* primos homines ab oriente accipimus Indos 1, 2, 3. *Pro eo* audimus 1, 4, 4. *et* invenio 3, 6, 8. *Tum* notiſſima accepimus flumina 3, 7. f. Cyzicum acie caeſum accepimus 1, 19, 2. Erythiam Geryonae habitatam accepimus 3, 6, 2. ibi nutritum Iovem accepimus 3, 6, 12. *De utriusque temporis commiſtione v.* II. 1. p. 64. *et de ſignificatione, qua valet cognoſcere, intelligere,* III. 1. p. 15. Antandrum hi pro Andro, illi pro viro accipi volunt 1, 18, 2.

accipere et *excipere* mutantur, V. II. 1. p. 637. *vel etiam promiſcue ponuntur.* V. excipere ſ. l.

accipere et *recipere.* V. c. l.

accola; locorum accolae 1, 5, 2. accolae adfirmant 1, 11, 3. accolae paludem Hypanis matrem adpellant 2, 1, 7. aliter

eum (*Danubium*) adpellantibus accolis 2, 1, 8. ſepulcro nomen eius (Iovis) inſculptum eſſe accolae oſtendunt 2, 7, 12. quo primum ex mari Venerem egreſſam accolae adfirmant 2, 7, 5.

accolere; duo oſſia etiam inter accolentes ignobilia ſunt 3, 1, 9.

accreſcere; Nilus ſolſtitio accreſcit 1, 9, 4. ubi accrevere flumina 2, 5, 8.

accuſativos Graecos amat Mela in *a, as* — V. II. 1. p. 65. et ſuis locis.

accuſativus abſolutus. V. II. 3. p. 88.

acerbus; acerbiſſimus planctus 2, 2, 4.

acies; acie fuſus caeſusque 1, 19, 2. navali acie decernere 2, 2, 7.

activa reciproce dicuntur. V. II. 1. p. 43. II. 2. p. 451. III, 1. p. 48.

activa et *paſſiva*. Vid. ſ. l.

ad; *i. e. ſecundum, qua, ut Gr.* κατά. *Sic* terrae nusquam non ad pabula fertiles — ad cetera ſteriles 2, 1. f. Thracia ad ferociam et numerum (*hominum*) ferax 2, 1, 1. pares ad famam (*urbes*) 2, 3, 1. Cf. II. 1. p. 645. *In quibusdam locis ponitur* ad, *ubi codices alii melius exhibere videntur* at. V. II. 1. p. 528. 645. II. 2. p. 607. ad noſtrum ritum morati cultores 1, 8, 3.

ad; i. e. *praeter*. *Sic* ad inſitam feritatem vaſte utraque (*animos et corpora*) exercent (*Germani*) 3, 3, 2.

ad et *in* mutantur, ubi utrumque alibi promiſcue ponitur; v. c. ſpectare *in* et *ad*. Sic porrecta *in* et *ad* occaſum codices dant 1, 1, 3. V. II. 1. p. 30 ſq. Sic Hiſpania *in* occidentem diuque etiam *ad* ſeptemtrionem vergit 1, 3, 5. Cf. II. 3. p. 270.

adamare; Endymion a Luna adamatus 1, 17, 1.

adaugere; ubi Oceani acceſſibus adauctus eſt (*de Garumna*) 3, 2, 5.

addere; addit fama nomini fabulam 1, 5, 3. pars Syriae, cui Antiochiae cognomen additur 1, 12, 5.

adducere; amnis ex Nili alveo dioryge adductus 3, 8, 7. ex ſpatio adductior (*Africa*) 1, 4, 1. *i. e. anguſtior*.

adducere et *abducere* mutantur. Cf. II. 3. p. 19. 293. et quae notarunt viri docti ad Sil. Ital. 10, 18. Lucan. 3, 700. Aurel. Victor. de V. I. 21, 3.

adducere et *obducere*. V. II. 1. p. 332.

adeo et *eo* in formula *usque eo*. V. II. 2. p. 71.

adeo; adeo mirum in modum placuit 1, 9, 4.

adfectare; cuius id ſit decus, magno certamine adfectant, 2, 2, 4. *i. e. ſtudent conſequi*. propriarum rerum fidem bello adfectavit 3, 6, 4.

adficere; ita adfectis (*ut riſu ſolvantur in mortem*) remedium eſt ex altero (*fonte*) bibere 2, 10, 2. Moſyni reges inedia diei totius adficiunt 1, 19, 10. ſerpentes elephantos morſu atque ambitu corporis adficiunt 3, 7, 2. *i. e. conficiunt*, uti volunt multi 1, 19, 10. et 3, 7, 2. Cf. II. 1. p. 608. et II. 3. p. 222.

adfirmare; accolae adfirmant 1, 11, 3. 2, 7, 5. nihil adfirmans academia 1, 18, 1.

adfluere; adfluens et refluens pelagus 1, 7, 5.

adgredi; opus dicere adgredior prooem. 1. *de re difficili.* V. III. 1. pag. 4.

adhaerere; Athos continenti adhaeret 2, 2, 10. Hiſpania Galliis adhaeret 2, 6, 2.

adhuc; ut adhuc habuimus Britanniam 3, 6, 4. *i. e. ad hoc usque tempus.* Scandinaviam adhuc Teutoni tenent 3, 6, 7. *Kappius in indice h. v. explicat ita, ut ſignificet ad hunc usque locum, neutiquam vero ad hoc usque tempus, quod alibi ſit* etiam nunc 3, 1, 9. et 3, 2, 8. *ubi tamen legitur* etiam tum. *Equidem in vulgari ſignificatione ſubſiſto, quam uſus unice probat.*

adiacere; oppida eodem, quo dicta ſunt, ordine adiacentia (*Aeolidis ſinui*) 1, 18, 2. adiacet oppidum Cherrone (*promontorio*) 2, 1, 3. Europa Propontidi — adiacet 1, 3, 1. Africa Libyco mari 1, 4, 3. Aſia pelago adverſa adiacens 1, 12, 4. terra fronte pelago adiacet 2, 3, 7. Pylos pelago 2, 3, 9. ripis Schoeni adiacens Maronia 2, 2, 8. Aſiaticis regionibus adiacent inſulae 2, 7, 4. oris ignobiles inſulae 3, 6, 1. ad Syrtim adiacent (*urbes*) 1, 7, 2.

adiacere et *obiacere.* V. II. 1. p. 161. 413.

adiectiva ad utrumque ſubſtantivum connexum variato caſu referri poſſunt. Sic *ſinus modicus ſpatio* 2, 4, 7. ubi Vatic. 3. adfert *modico ſpatio. Apis, bos, cauda linguaque diſſimilis aliorum;* al. *diſſimili,* 1, 9, 7. *regio ob aeſtus intolerabilis,* al. *intolerabiles* 3, 7, 8. Cf. II. 1. p. 351. et quae adtulerunt Burmannus uterque ad Phaedr. 2, 7, 6. et Propert. 1, 10, 8. Garaton. ad Cicer. pro Coelio cap. 21. Bentlei. ad Horat. 1. od. 29, 4. vir doctus in obſervatt. miſcell. V. 1. T. 2. p. 24. et ego ad Eutrop. 7, 21. f. 14.

adiectiva; neutra in plurali ex Graeca ratione cum genitivo ſubſtantivi. Sic *ſaeva hiemis* 2, 1, 10. *eminentia cautium* 2, 6, 5. *obpoſita cautium* 3, 5, 5. *immania gentium* 2, 1, 8. *brevia vadorum* 1, 7, 3. *ima montis* 1, 18, 2. — Cf. diſſert. de Mela cap. 6. p. 37.

adiectiva; loco nominum propriorum, ut *Idaeus mons* 1, 18, 3.

ſaltus Oetaeus 2, 3, 2. Cf. III. 1. p. 535 ſq. et Torren. ad Valer. Max. 3, 2, 23. p. 254.

adiicere; id famae fidem adiicit 1, 19, 7. teſtem rei adiicit Cornelius Nepos 3, 5, 8.

adiicere et ſimilia libri in medio per *i* ſimplex efferunt, ut *adicere, conicere, inicere, ſubicere.* V. II. 3. p. 144 ſq.

adire; maria navibus 1, 12, 1. donec ad frequentiora, quam adire audeant (*tigres*), profugus raptor evadat 3, 5, 7.

aditus; aditus Maeotidos 1, 2, 2. lacus, qua mare admittit, tenuis aditu 2, 5, 6.

adiungere; Thracia Macedoniae adiungitur 1, 3, 14.

adlegere; terra facie poſiti enſis adlecta eſt 2, 1, 5. ubi cf. nota V. II. 2. pag. 38. quae tamen in integrum reſtituenda ſic eſt: etſi potius ad *adligo* ſ. *adlego, ĕre* — noſtris auctoribus hoc ſenſu —

adluere; loca, quae mare non adluit 2, 3, 4. mare adluit terras 1, 18, 5. quae Libyco mari adluuntur 1, 4, 4. frons mari Atlantico adluitur 3, 10, 1. ſinus alterum Cherſoneſi latus adluens 2, 2, 8. Boryſthenes gentem ſui nominis adluit 2, 1, 6. Durius radices promontorii adluens 3, 1, 7. Sic Graeci κλύζεσθαι.

adluere et *abluere.* Vid. notae criticae citata proxime loca, et in primis Vol. II. 1. p. 186 ſq.

admittere; nives ultra ne viſum quidem incedentium admittunt 2, 1, 1. ſpecus auſos (*ſubire*) penitus alte quaſi cuniculo admittit 1, 13, 3. Oceanus, excluſus antea mole montium, ad quae nunc inundat, admiſſus 1, 5, 3. mare, quod inter utraque (*cornua Italiae*) admittit 2, 4, 8. pelagus magno impetu admiſſum 2, 6, 6. mare ore anguſto admiſſum 3, 1, 9. lacus, qua mare admittit, tenuis aditu 2, 5, 6. Indus alia flumina admittit 3, 7, 6. *Pro eo alias dicitur* accipere, excipere. Cf. II. 3. p. 42. *de ſenſu.*

admiſſum et *admixtum* ſ. *admiſtum.* V. II. 3. p. 41 ſq.

admodum; admodum munita Gaza 1, 11, 3. editus admodum collis 1, 14, 1. ſaevum adm. ingenium 1, 19, 6. hiems adm. aſſidua 2, 1, 10. Thracia eorum, quae ſeruntur, maligne admodum patiens 2, 2, 1. admodum inopes 3, 10, 3. ſpecus admodum pervius 2, 6, 8. de amnibus Hirhera in media admodum (*Sicilia*) ortus 2, 7, 17. pietatis admodum expertes 3, 6, 6. *Modum autem verborum, quibus additur, ita indicat, ut ſit idem, quod ſatis, aliquantum, fere, prout nexus ſuadet.* V. III. 2. p. 864. *Facciolatus* epiſt. 9. p. m. 432. et quae notavi ad Eutrop. 8, 1. p. 532.

admonere; Gades inſula admonet ante reliquas dicere 2, 7, 1.

admovere; altaribus 3, 2, 3. (*de victimis.*) ubi faces ſine igne procul admoventur 2, 3, 5.

adnectere; Tyros — nunc adnexa terris deficit 1, 12, 2. Sicilia aliquando agro Bruttio adnexa 2, 7, 14. Corycos oppidum continenti adnexum 1, 13, 2. terra tenui radice litori adnectitur 2, 1, 5. collis anguſto aggere continenti adnectitur 2, 5, 6. confinio adnexae (*urbes*) muri 1, 17, 3. Iſthmos anguſto tramite Helladi Peloponneſon adnectit 2, 3, 7. limum litori adnectit (*Nilus*) 2, 7, 6. terris adnexus adparet (*globus Solis*) 1, 18, 4.

adnuere; nomen famae adnuit 1, 17, 2.

adnuere et *adimere.* V. II. 1. p. 524.

adoleſcere; cum adolevit (*phoenix*) 3, 8, 10. hoſtem ferire, adultarum ſtipendium eſt 3, 4, 3.

adparare; epulae viſceribus humanis adparantur 2, 1, 13. adparatae epulae 3, 9, 2.

adparere; in aliqua parte (*Indiae*) neuter ſeptemtrio adparet 3, 7, 2. *i. e. neque maior neque minor urſa.*

adpellare; Afri aliter adpellant, ſed idem ſignificante vocabulo 1, 5, 2. ob id eo nomine adpellata regio 1, 17, 2. aliter adpellant accolae 2, 1, 8. uno omnes nomine Caſſiteridas adpellant 3, 6, 2. alio nomine adpellari 3, 9, 8.

adpellativa nomina cum *propriis* ſaepe coniunguntur. Exempla obvia. Sic Liv. 21, 5, 8. *Tagus flumen* et alia.

adpellere; Moſyni pernoxii adpulſis 1, 19, 10. mare noxium adpulſis 2, 7, 14.

adpetere; ſerpentes ſolent obvios adpetere 2, 7, 22.

adplicare; Eteſiae arenas cum fluctibus litori adplicant 1, 9, 4.

adponere; mons litori adpoſitus, i. e. propinquus 1, 13, 3. oppidum litori 1, 7, 2. Cf. 2, 3, 8. Euboea toti Boeotiae 2, 7, 9. India Eoo pelago 3, 7, 2. pars Galliae Noſtro mari 2, 5, 1. plures inſulae Europae litoribus ſunt adpoſitae 2, 7, 8. exuſtis (*locis*) inſulae adpoſitae ſunt 3, 10, 1. Europa ſiniſtro latere innavigantium (in Tanaim) adpoſita 2, 1, 1. quae paſſim adpoſita ſunt *de epulis in menſa Solis* 3, 9, 2.

adpoſitus et *obpoſitus.* Cf. II. 1. p. 441. 620. II. 2. p. 512. et alibi, in primis II. 3. p. 204.

adpoſita nomina propria cum *adpellativo* in eodem caſu. Sic *campus Thebe nomine,* ubi alii volunt *Thebes.* cf. II. 1. p. 546. et Staveren. ad Nepot. Ageſil. c. 8, 6.

adpropinquare; ut lux adpropinquat 1, 18, 4.

adſidere; vaſto mari gentes adſidentes 1, 19, 14. ſtagno adſidet (*urbs*) 2, 5, 4.

adſidere ab *adſido;* urbes quae adſidunt (*pelago*) 2, 3, 10.

adſideo et *adſido.* V. II. 2. p. 260.

adſidere et *obſidere.* V. II. 2. p. 386.

adſidue; cadentes nives 2, 1, 1. eodem adſidue tempore 3, 1, 2.

adſidue et *adſiduo.* V. II. 2. p. 9.

adſiduus; hiems 2, 1, 10. ignes 2, 7, 17. *poſt* §. 18. perpetuus ignis; gelu 3, 5, 8.

adſignare; urbem piratis adſignante Pompeio 1, 12, 2.

adſpectus; primo adſpectu 1, 13, 3. Veſuvii montis adſpectus 2, 4, 9. adſpectum pulveris fugere 2, 7. f.

adſpergere; ſinus parvis urbibus adſperſus eſt 1, 18, 2.

adſpicere; opus adſpici cognoſciue digniſſimum prooem. 1.

adſpirationem amant codices et editiones veteres, v. c. *bosphorus, hoſtium, harena.*

— mediae voci ex Graeca ratione hodie multi inſerunt, ut *Gerrhos* 2, 1, 4. *Panhormus* 2, 7, 16. *Dyrrhachium* 2, 3, 12. Cf. II. 2. p. 274.

— praeferunt cum bonis libris critici in nominibus Punicis, ut Hannibal, Hasdrubal. V. II. 2. p. 425.

adtendere; pretium operae adtendentium abſolvit prooem. 1.

adterere; ſaxa fluctibus adtrita, *i. e. exeſa* 1, 6, 2.

adtingere; cum hominum manu adtingitur rupes 1, 8, 1. qua Hellespontum adtingit Aeolis 1, 18, 1. Myrtoum pelagus Graecia 2, 3, 3. Gallia Tuſcum pelagus 2, 5, 1. Sardinia Africum pelagus 2, 7, 19. ora (*Siciliae*) Ionium mare adtingens 2, 7, 16. Auſidus (*fl.*) Cannſium adtingens 2, 4, 7. Cf. *de fluminibus* 2, 5, 6. 2, 6, 5. fretum (*de Gadibus*) 3, 6, 1. Megarenſium tractus Iſthmon 2, 3, 7. montem Arabiae Caſium (*ſinus Arabicus*) 3, 8, 3. Tibareni Chalybas 1, 19, 10. quae gignuntur, adtingere nefas habent 3, 6. f. *Cum praepoſitionibus:* qua ad fluvium (*Nilum*) adtingit Africa 1, 4, 1. *et ſic multi,* quae in mare adtingunt 1, 4. f. V. II. 1. p. 179. 196 ſqq.

adtingere et *contingere.* V. II. 2. p. 416. Havercamp. ad Oroſ. 1, 1. pag. 7.

adtollere; mons, quem Hiſpania adtollit 1, 5, 3. montes Thracia 2, 2, 2. Taurus adtollitur 1, 15, 2. 3, 7, 1. Taurus adtollit promontorium 3, 7, 6. Arabia adtollitur Caſio monte 1, 10. Italia media perpetuo iugo Apennini montis ſe adtollens 2, 4, 1. flexus ſe adtollens 1, 19, 12. exuberantia maria ſe rurſus adtollunt, *obp.* reſidunt 3, 1, 2.

adtrahere; pelli ſe atque adtrahi patitur 2, 5, 7.

advena; equis advenas mandendos obiectare 2, 2, 9.
advenire; cum ſumma clade advenientium 2, 7, 2. ex Aegypto advenere (*de Automolis*) 3, 9, 1. qui cum munere advenerunt 1, 8, 8.
adventare; et recedere *de maribus* 3, 1, 2.
adverſus; adverſa occidenti litora 2, 6, 1. pars occidenti adverſa 2, 6, 5. litus 1, 19, 12. Cf. 2, 4, 4. Tenedos Sigeis litoribus 2, 7, 4. Sena Oſismicis 3, 6, 3. ora Cantabricis litoribus 3, 2, 7. cf. §. 1. Lemnos Athos monti 2, 7, 8. adverſa pelago adiacens Aſia 1, 12, 4. *obp. obliquus.* Scyllae adverſum (*promontorium*) 2, 7, 15. quae Sarmatis adverſa ſunt 3, 6, 8. pars pelagi oſtio 3, 8, 5. promontorium par et adverſum 2, 1, 3. Ponti alter angulus adverſus Phaſiaco 2, 2, 5. adverſo agmine excipi 3, 8, 9. ex adverſo 1, 5, 3. ab adverſa parte 1, 1, 1. in adverſis 2, 3, 10.
adverſus et *averſus*. Vol. II. 1. p. 414. et Snakenburg. ad Curt. 5, 9, 4. Bersmann et Oudendorp. ad Lucan. 6, 339. 8, 337. Staveren. ad Nepot. Datam. c. 11. f. —
adverſus et *diverſus*. V. II. 1. p. 35. 48. II. 2. p. 579. II. 3. pag. 131.
advertere; Gallia ad occidentem litus advertit 3, 2, 1.
advertere et *avertere*. V. II. 3. p. 272.
adultus; v. *adoleſco*.
adurere; natis ſtatim dextra aduritur mamma 3, 4, 2.
ae et *e*. V. II. 1. p. 14. 195 ſq. et alibi in libris. Cf. Nodellius in notis crit. ad calcem Aviani cap. 2. p. 65. Sic in Noſtro *Iudaea* et *Iudea*, de quo II. 1. p. 183.
ae et *es*; in terminationibus nominum ex inferioris Latinitatis uſu. V. III. 2. p. 453. 575.
aedes; intima aedium 1, 9, 6.
aegre; aegre nec ubique alit terra 3, 2, 2. Catoblepas, fera, grande caput aegre ſuſtinens 3, 9, 9.
aegritudo; annis, aut aegritudine in maciem ire 3, 7, 3. *poſt* morbus. *Boni auctores ad animum referre ſolent.* Vol. III. 3. pag. 252.
aemula; pertinax imperii R. (*de Carthagine*) 1, 7, 2.
aequabiliter; rubrum mare recedentes oras aequabiliter impellit 3, 8, 1.
aequabiliter et *aequaliter*. V. II. 3. p. 259.
aequalis; lacus aequali margine obductus 1, 19, 16. aequalis tractus litorum 3, 6, 6.
aeque; aeque deſertae inſulae 3, 6, 10.
aequi et *et qui*. V. II. 3. p. 314.

aequinoctium; vernum *et* auctumnale 3, 5, 1.
aequor; Atlanticum 3, 1, 3.
aequor et *qua*. V. II. 1. p. 336 ſqq.
aequus; terrae aequa in omnem partem cedunt 3, 8, 2. *i. e. recedunt, ut alibi. Vid. recedere*; aequi corporis *homines* 3, 9, 1. *i. e. aequali corporum magnitudine, vel, ut infra* §. 7. *dicit*, corporibus ſimiles. V. II. 3. p. 314.
aer; aeris circumfuſi vis 3, 7, 8.
aerarium; Perſae aerarium vocant gazam 1, 11, 3.
aeris et *Perſis*. V. II. 3. p. 318.
aerumna; urbs fide et aerumnis incluta (*de Sagunto*) 2, 6, 6. *i. e. excidio.*
aes; apud Aethiopes plus auri quam aeris eſt 3, 9, 1. aere exornantur 3, 9, 1. aere abundans Hiſpania 2, 6, 2.
aeſtivus; aeſtivo fidere exundans (*Nilus*) 1, 9, 3. *i. e. aeſtate.* V. III. 1. p. 265.
aeſtus; aeſtum ſolemque fugiunt angues 1, 19, 3. Tanais ſolus aeſtus hiememque iuxta ferens 1, 19, 18. aeſtus inhabitabilem efficiunt oram 1, 2, 3. mediam zonam infeſtat 1, 1, 2. magni 1, 9, 4. regio ob aeſtus intolerabilis, cultoribus egens, *al.* intolerabiles, *de quo cf.* II. 3. *p.* 255. magnis aeſtibus concitum pelagus 3, 1, 1. *i. e. agitationibus, commotionibus.*
aetas; dimidio longior aetas habitantium 2, 2, 10. ut nubiles habeantur, non in aetate modus eſt 1, 19, 17. *i. e. non annorum numero aeſtimatur* III. 1. p. 639. ſupra tredecim milium annorum aetates 1, 9, 8. *Gr.* γενεαί. V. III. 1. p. 302.
aeternus; aeternae ſunt animae 3, 2, 3.
aevum; ubi quingentorum annorum aevo perpetua duravit (*phoenix*) 3, 9, 10.
affatim; marinis opibus affatim dites 3, 7, 5.
Africus; plaga auſtro atque africo (*ventis*) expoſita eſt 2, 5, 3.
ager; agro Bruttio adhaeret Sicilia 2, 7, 14. non continuo ſecat agros Euphrates 3, 8, 5. colunt Georgi exercentque agros 2, 1, 11. laetiores agri 3, 10, 4. urbium ſedes atque ager 2, 2, 11.
agere; *propellere*, *extendere*. Rhodanus ſe integer agit per medium lacum Lemannum 2, 5, 5. Garumna ſuas et Oceani aquas agit 3, 2, 5. Padus diu, qualem emiſit, undam agit 2, 4, 4. Nilus per invia aliquamdiu actus 3, 9, 8. Arethuſa huc agit alveum 2, 7, 16. fons arenas quaſi maria agit 1, 8, 1. rectam ripam agit (de Gadibus) 3, 6, 1. qua Taurus dorſum agit 1, 15, 2. qua terga agunt (de urbibus) 1, 17, 3. qua latera agit Thracia 2, 2, 7. qua flexum agit Syrtis 1, 7, 5. in artum agitur mare 1, 1, 4. quocunque venti agunt, pelli-

tur 1, 9, 5. caeca tempeſtate agi 1, 19, 14. actae a ſeptentrione in meridiem nubes 1, 9, 4. porticus alium ſuper alios orbem agentes 1, 9, 5. *Tum varias aliorum verborum vices tenet, veluti facere, habere, conſumere, ubi notio ſubeſt propria propellere, procedere, continuare.* Paria agunt anni tempora 1, 1, 2. diu ſtatam ſedem agunt 2, 1, 11. ibi noctem agunt 1, 8, 4. vitae ſpatium dimidio fere, quam nos, longius agunt 1, 9, 1. *Porro cum ellipſi vocis vitam, vitae rationem, ponitur pro vivere, ut* cultores regionum aliter a ceteris agunt 1, 9, 4. nudi agunt Germani 3, 3, 2. Cf. 3, 7, 3. in urbibus 3, 10, 6. *Cf. pro vivere Garaton. ad Cicer. pro Sextio* cap. 10. *Corte ad Salluſt.* p. 503. *Iacger. ad Panegyr. vett.* Vol. 2. p. 154. *Denique* aliena bella mercedibus agere 1, 16, 1. *eſt perſequi, propellere,* de quo cf. II. 1. p. 487 ſq. III. 1. p. 459. *ubi addi poteſt locus ex Cicerone pro Balbo* cap. 20. *ſi tanta bella egiſſet, quanta et geſſiſſet.*

actus et *factus.* V. II. 2. p. 150 ſq. — et *auctus* V. II. 3. p. 356.

agere et *gerere bellum.* V. II. 1. p. 488.

agere et *habitare.* V. II. 3. p. 375.

agere et *iungere.* V. II. 1. p. 531.

agger; cinis, quo relinquitur aggere, manet 2, 3, 10. collis anguſto aggere continenti adnectitur 2, 5, 6.

agmen; agmine adverſo excipi 3, 8, 9.

agnatus; plures ſingulis liberi agnatique ſunt 1, 8, 4. *Qui?* vid. III. 1. p. 223.

agnati et *cognati.* V. II. 1. p. 292.

agnoſcere; quos pro ſuis (*liberis*) colant, formae ſimilitudine agnoſcunt 1, 8, 7.

agreſtis; animalia 2, 7, 21. ſilva quiddam agreſte reſonans 1, 13, 3.

aio; ut aiunt 1, 17, 2.

alere; ali ſerpentibus 1, 8, 6. ovis avium paluſtrium et avenis 3, 6, 8. quosdam piſces tantum alunt 3, 7, 3. pecore ali 3, 19, 3. venando 1, 19, 19. parentes alere 1, 9, 6. ignes oſſibus 2, 1, 4. India formicas alit 3, 7, 2. Thracia viros benignius 2, 2, 1. Britannia fecunda his, quae pecora, quam homines, benignius alant 3, 6, 4. Hiſpania linum aut ſpartum 2, 6, 2. quidquid ex ſatis frigoris impatiens eſt, aegre alit terra 3, 2, 2. India alit formicas 3, 7, 2. ſua ſponte genita nihil ſollicitos alunt 3, 10, 2. campi nihil alentes 1, 6, 2. Boryſthenes alit laetiſſima pabula magnosque piſces 2, 1, 6. Nuchul alit papyrum et minora animalia 3, 9, 8. Padus aliis

amnibus alitur 2, 4, 4. ignes oſſibus 2, 1, 4. opes tempus aluit 3, 6, 1.

alias; alias inſulae videntur, alias continens terra 3, 6, 8.

alicubi; India pinguis alicubi ſoli 3, 7, 2. Ganges alicubi latius fluit 3, 7, 6. regio alicubi cultoribus egens 3, 7, 8. alicubi ſteriles terrae, *obp.* nusquam non, 2, 1, 14. Italia alicubi multo anguſtior 2, 4, 1.

alicubi et *aliubi.* V. II. 3. p. 207.

alienus; aliena Axiacae non contingunt 2, 1, 11. Strymon alienis aquis ſubinde fit amplior 2, 2, 9. ſedem alienam Maſſilia facile cepit 2, 5, 3.

alio; alio ventus, alio unda praecipitat 3, 2, 5.

alioquin; nudis alioquin pro veſte ſunt aures 3, 6, 8.

aliquamdiu; Rhodanus aliquamdiu Gallias dirimit 2, 5, 5. ambiguum aliquamdiu fuit 3, 5, 8. dubium aliquamdiu fuit 3, 9, 3. ſpecus aliquamdiu perſpicuus 1, 13, 3. frons aliquamdiu rectam ripam habet 3, 1, 7. Iaxartes (*fl.*) aliquamdiu ad occaſum ab oriente excurrens 3, 5, 6.

aliquamdiu et *aliquando.* V. II. 3. p. 331.

aliquando; aliquando dites 3, 10, 3. aliquando Circeii 2, 4, 9. ingens aliquando Cypſela 2, 2, 6.

aliquando et *aliquamdiu.* Vid. ſ. l.

aliquantus; mollitis aliquantum moribus 1, 19, 6. aliquantum patens ſinus 3, 8, 1. aliquantum plenior Garumna 3, 2, 5. aliquanto maior receſſus (*de ſinu*) 3, 8, 3. aliquanto notior nomine 2, 3, 10. Varum aliquanto notius 2, 4, 9. aliquanto ſpatioſior 2, 7, 19. *De ſenſu vocis, quae male a multis capitur,* vid. III. 1. p. 39. *et Houſingerus ad Cic. off.* 1, 1. *pag.* 4. *et quos laudat.*

aliquatenus; cum aliquatenus Aſia ſolida proceſſit 1, 2, 1. Padus aliquatenus exilis ac macer 2, 4, 4.

aliquis; aliquot cum aliquibus nominibus loca 2, 5, 3. orae notae ſunt aliqua *ſc. parte* 3, 19, 3. quem Nili fontem eſſe aliqua credibile eſt 3, 9, 8.

aliqua et *aliquatenus, aliquando.* V. II. 3. p. 348.

aliquot; amnes 2, 1, 8. urbes 2, 7, 5. populi 3, 1, 10. *De ſat magno numero poſuiſſe videtur Mela.* V. III. 2. p. 45.

aliquotiens; aliquotiens conſequi curſu ſubinde repetito 3, 5, 7. *Vid. de ſcriptura* II. 3. p. 139.

aliter; Ida aliter orientem ſolem oſtentat 1, 18, 4. eadem adpellantur 2, 4, 1. aliter, quam in aliis oris, umbrae rerum ad meridiem iacent 3, 7, 2. multo aliter a ceteris agunt (*Aegyptii*) 1, 9, 6. *Vid. de hac ſtructura* II. 1. p. 346.

aliubi; aliis aliisque dicti nominibus 1, 19, 13. per hiemem, ſicut aliubi, noctes obſcurae 3, 6, 9.

aliubi et *alicubi. Vid. ſupra.*

alius; quae apud alios inſanabilia ſunt 3, 6, 3. alii amnes 3, 9, 8. *In repetitione:* Syria aliis aliisque nuncupata nominibus 1, 11, 1. Thraces aliis aliisque praediti nominibus 2, 2, 3. aliis aliisve adpoſiti gentibus (*montes*) 1, 19, 13. alii aliique in vicem 3, 1, 1. aliae aliaeque gentes 2, 4, 2. porticus alium ſuper alios orbem agentes 1, 9, 5. aliis ſuper aliis innaſcentibus 3, 10, 2. Cf. II. 3. p. 564. *In connexu cum aliis vocibus,* v. c. ſinus urbes complexus, et alias quidem, ſed notiſſimas — 2, 6, 6. Indus alia quidem flumina admittit, ſed clariſſima 3, 7, 6. ſilvae alia quoque dira animalia, verum et tigres ferunt 3, 5, 7. Cf. III. 2. p. 535. *In ſtructura,* opes aliae virtutum, *uti vulgo antea legebatur* 3, 9, 1. Cf. II. 3. p. 315 ſqq. *an cum ablativo nudo ponatur* vid. II. 1. p. 347. ad 1, 9, 6.

alius et *altus.* V. II. 3. p. 78.

alluo; vid. *adluo.*

altare; devotos altaribus admovere 3, 2, 3. *formula ſolemnis de victimis.* Cf. III. 3. p. 48.

alte; alte demiſſus ſpecus 1, 13, 3. altius abit ſol 1, 9, 4. altius ſe evehens ſol 3, 6, 9. altius ſurgit mons 2, 2, 10. Atlas altius in nubila erigitur 3, 10, 1. paullo altius ſumma repetetur prooem. 2.

altius et *latius.* V. II. 1. p. 529.

alter; alter orbis 1, 9, 4. altera vita ad manes 3, 2, 3. Leptis altera 1, 7, 5. altero ſpatio amplior ib. alterum Cherſoneſi latus 2, 2, 8. alter — alter 2, 4, 1.

alternus; alterni motus pelagi 1, 7, 3. alterni acceſſus receſſusque pelagi 3, 6, 8. alternus curſus *de Euripo* 2, 7, 9. Cf. 2, 7, 14.

alternis et *alterius.* V. II. 3. p. 169.

altitudo; Pyramidum maxima quatuor fere ſoli iugera in altitudinem erigitur 1, 9, 5. Haemos in tantum altitudinis abit, ut — 2, 2, 2.

altitudo et *latitudo.* V. II. 1. p. 51.

altus; montium altiſſimi 3, 3, 3. *Plerumque* altum *dicitur de mari, ut* qua in altum abit Arabia 1, 10. Pallene tota in altum abit 2, 2, 11. Luſitania in altum abit 2, 1, 6. Europa in altum magnis frontibus ſe evehit 1, 3, 2. Hiſpania duobus promontoriis evecta in altum 3, 6, 1. Italia in altum excedit 2, 4, 1. rupes, quae in altum Pyrenaeum extrudit 2, 6, 5. longis in altum immiſſis lateribus (*de ſinu*) 2, 3, 1. terrae in altum eunt 2, 6, 6. ubi ex alto piſcis huc penetravit 2, 5, 7.

terrae in altum progrediuntur 2, 3, 3. ora in altum progreſſa 3, 2, 1.

altus et *elatus*. V. II. 2. p. 143.

altus et *latus*. V. II. 1. p. 630. II. 2. p. 143.

alveus; caecus (*de Nilo*) 1, 9, 4. navigabiles 1, 2, 4. certus 3, 2, 8. ingens 2, 5, 6. ſimplex 3, 1, 5. unus 3, 5, 4. duo *ib.* rectus 3, 5, 3. in alveum Rhyndaci fugerunt angues 1, 19, 3. maiore alveo erumpit 3, 2, 9. ſuum ſervat Padus 2, 4, 4. foſſa Mariana partem Rhodani navigabili alveo effundit 2, 5, 4. Atax ingentis alvei tenens 2, 5, 6. huc agit alveum 2, 7, 16. ſimplici alveo venerat 3, 1, 5. certo alveo lapſus Rhenus 3, 2, 8. Caſius uno alveo deſcendit 3, 5, 4. ſine alveo ſe fert aquis pendentibus Araxes 3, 5, 5. Indus pluribus alveis undam trahit 3, 7, 6. ſimul unum alveum fecit *ib.* Euphrates ſine alveo patulus 3, 8, 5. Boryſthenes quadraginta dierum iter alveo ſtringit 2, 1, 7.

alumnus; *urbis* 2, 3, 1. *bis*; virtutum 3, 9, 1. *Cf. de hoc vocis uſu* II. 3. p. 317. III. 2. p. 159. *et quae plurima de h. v. diſſeruit Caſtalio in varr. lectt.* cap. 50.

alumni et *alii*. V. II. 3. p. 317.

am et *a* in terminatione nominum. Nempe poſteriores ex accuſativo Gr. in *a* faciebant nominativum in *a*, unde fluxit accuſativus in *um*. V. II. 2. p. 510 ſq. et III. 2. p. 461.

am in Latinis paſſim, ubi Graeci neutrum in plurali uſurpant, ut *Patarum*, *Leuctram*, *Megaram*. V. II. 1. p. 478. II. 2. p. 223.

am et *a*, ut *eminentia* et *eminentiam cautium* 2, 6, 5. V. II. 2. p. 424.

amaro; bella caedesque 2, 1, 12.

amarus; aquae 2, 1, 7.

ambages; viae multis ambagibus huc et illuc remeantes 1, 9, 5. Ionia aliquot ſe ambagibus ſinuat 1, 17, 1.

ambiguus; ambiguum aliquamdiu fuit 3, 5, 8.

ambire; ambitur Oceano 1, 1, 3. alterum latus (*Arabiae*) ambit plaga, quae — 3, 8, 6. Antros ambitur fluctu 3, 2, 6. Schoenus (*ſinus*) ambit Hylam (*urbem*) 1, 16, 2. Perſicum ſinum populi Perſarum ambiunt 1, 2, 4. Sauromatae Maeotidis flexum ambiunt 2, 1, 2. *Cf. cingere*. Panotis aures ad ambiendum corpus omne patulae 3, 6, 8.

ambitus; mundus ambitu uno cuncta amplectitur 1, 1, 1. Nilus Meroen primo ambitu amplexus 3, 9, 1. Aſia primum ingenti ambitu ſe incurvat 1, 2, 2. mare (*internum*) magno ſe extendit ambitu 1, 1, 4. Aegaeum pelagus magno ambitu mol-

lique terras circumagit 2, 2, 8. labyrinthus perpetuo parietis ambitu domos ter mile amplexus 1, 9, 5. tellus ſine ambitu (*Oceani*) ac ſine proiecta 3, 5, 8. ſinus non anguſto ambitu mare admiſſum excipiens 3, 1, 9. ſerpentes aliqui elephantos ambitu corporis adficiunt 3, 7, 2.

amflectere: Gallia grandi circuitu amflexa 3, 2, 1. *Vox rariſſima. amflexa*, *amplexa* et *adflexa*. V. II. 3. p. 58.

amfractus; continuus 1, 9, 5. *Alii* anfractus, de quo vid. II. 1. p. 343 ſq.

amnis; amoeniſſimus 2, 1, 6. incluti 1, 1, 6. turbidi 2, 1, 6. manu factus 3, 8, 7. ingens ingenti fonte ſe extollens 1, 13, 3. modicus 2, 6, 5. Baetis uno amne decurrit 3, 1, 5. per eundem amnem remeare 2, 1, 1. in illis terris oritur amnis (*Nilus*) 1, 9, 4. ingens palus amnem Tritona recipit 1, 7, 4. ſinus amnem accipit 2, 3, 6.

amor; amoris commercium 1, 19, 1. Paſiphaes et Ariadnae amores 2, 7, 12.

amoenus; amnis amoeniſſimus 2, 1, 6. amoeni ſaltus 3, 10, 4. umbrae 1, 13, 3. amoena Campaniae litora 2, 4, 9. terra lucis immanibus amoena 3, 2, 2.

amplecti; Mundus uno ambitu ſe cunctaque amplectitur 1, 1, 1. Nilus inſulam amplexus 1, 9, 2. portus urbem 1, 16, 2. ſinus urbem 1, 19, 4. 2, 3, 6. 2, 7, 8. urbes 2, 2, 8. flexus urbem 3, 2, 8. Nilus primo ambitu amplexus inſulam facit 3, 9, 1. Flevo eiusdem nominis inſulam amplexus 3, 2, 8. mare inſulas 3, 1, 1. amplecti flammas 3, 9, 4.

amplificatio; ex interpoſitis ſubſtantivis vel participiis. Vid. diſſert. de Mela cap. 6. p. 45.

amplius; decem milibus paſſuum patens 1, 1, 4. *Obpon.* minus.

amplus; niſi amplior foret, ſimilis (*angulus*) 2, 2, 5. Strymon alienis aquis ſubinde fit amplior 2, 2, 9.

an; accuſativus Latinus a vocibus Graecis in ας, αδος, ut *Thynian*, *Demetrian*. V. II. 1. p. 565.

an; incertum ob decorem, an quid aliud 3, 6, 5.

anceps; ancipites viae 1, 9, 5.

ancora; ancorae infixae cautibus 1, 6, 2.

anfractus; vid. *amfractus*.

anguis; circa Rhyndacum (*fl.*) angues naſcuntur 1, 19, 3.

angulus; angulus Baeticae 3, 6, 1. noviſſimus Africae 3, 10, 5. Colis alterius partis angulus 3, 7, 5. intimus Arabici ſinus 3, 8, 7. Britannia ſe in diverſos angulos cuneat triquetra 3, 6, 4. Pontus Euxinus utrimque anguſtos facit angulos 1, 19, 6. Cf. §. 12. alterum ſui flexum angulo finit magno (*de eodem*)

2, 2, 5. *Poſſim dicitur de extremitate terrae in acumen faſtigio ſuo exeuntis.* V. II. 3. p. 152.

anguſtare; terrae ſe anguſtant 3, 1, 10.

anguſte; Sardinia in occidentem, quam in orientem, anguſtius ſpectat 2, 7, 19. quando anguſtiſſime fluit (*de Gange*) 3, 7, 6.

anguſtus; Arabia 3, 8, 6. deſcenſus (*in ſpecum*) 1, 13, 3. cervices (*de promontorio*) 1, 7, 3. os (*de ſinu*) 3, 1, 9. (*de ſpecu*) 1, 13, 4. anguſto tergore continenti adnexum oppidum 1, 13, 2. anguſtae fauces (*de ſinu*) 2, 3, 10. anguſtiſſimum pelagus 2, 6, 7. ambitus 3, 1, 9. ſpatia 3, 6, 7. in anguſto duorum promontoriorum 2, 4, 5. Numidia ſpatio, quam Mauretania, anguſtior 1, 6, 1. Araxes quanto anguſtior, tanto magis pernix 3, 5, 5. Sucronenſis ſinus, quo magis penetratur, tanto anguſtior 2, 6, 6.

anguſtus et *auguſtus*. V. II. 1. p. 453. II. 3. p. 117.

anhelitus; anhelitune ſuo id Mundus efficiat 3, 1, 2.

ani et *eni* in populorum quorundam terminatione, ut *Tibarani* et *Tibareni*. V. II. 1. p. 122 ſqq.

anima; animae ſunt aeternae 3, 2, 3. glebis animas infundit Nilus 1, 9, 3. animae obeuntium redeunt 2, 2, 3. non exſtinguunt *ib.*

animal; nondum perfecta, ſed tunc primum accipientia ſpiritum 1, 9, 3. marina 3, 1, 1. noxium animalium genus 3, 2, 2. dira 3, 5, 7. omnium animalium, quae nocent, expers Ebuſos 2, 7, 21. mare animalium capax 3, 8, 1.

animus; ſegnis 2, 2, 4. bellando animos exercere (*de Germanis*) 3, 3, 2. quibus conſolari eas animus eſt 2, 2, 4.

annales; certis annalibus referunt 1, 9, 8.

annectere; vid. *adnectere*.

anteſtare; anteſtat omnes 2, 5, 2. Scandinovia alias anteſtat 3, 6, 7.

antiquus; antiquiſſimi populorum, antiquiſſimae urbium 2, 7, 19.

antiſtes; academiae 1, 18, 1. oraculi 3, 6, 3.

anxius; nihil anxii mortem exſpectant 3, 7, 3.

aperire; mare Rubrum duos ſinus aperit 3, 8, 1. mare terras atque intrat 1, 1, 4. Pontus ſe aperit 1, 19, 6. tum rurſus fit apertius mare, Propontis 1, 19, 2. *cui obponitur artius mare* 1, 18, 5. aperit anguſtiſſimum pelagus 2, 6, 8. aperitur lacus Maeotis 1, 19, 16. apertis in Germania fontibus (*de Danubio*) 2, 1, 8. Euphrates, immani ore aperto, — 3, 8, 5. (*de fonte*) Oxos (*fl.*) inter Amardos et Paeſicas os aperit (*de exitu*) 3, 5, 6. montem aperit ſpecus 1, 13, 3. ſpecus aperitur *ib.* mons medium latus aperit 2, 6, 8. ingens flexus aperitur 3, 1, 7. Britanniam clauſam Principum maximus 3, 6, 4.

apricus; terra 3, 5, 2.
aptus; cum mortuis defodiunt apta viventibus (*Galli*) 5, 2, 3.
apud; quae apud alios inſanabilia ſunt 3, 6, 3.
aqua; ſuas illiusque (*Oceani*) aquas agit (*de Garumna*) 3, 2, 5. aquis increſcentibus 3, 2, 6. dulces *obp.* marinae 2, 4, 4. *obp.* ſalſae 2, 5, 7. amarae 2, 1, 7. efficaces (*Nili*) ad generandum alendumque 1, 9, 3. Araxis qua ſui fontis aquis venit 2, 5, 6. Strymon alienis ſubinde aquis fit amplior 2, 2, 9. aquarum penuria 2, 6, 2.
ara; arae Philaenorum 1, 7, 2. Iunonis 3, 1, 4. Seſtianae ſedent in paene inſula 3, 1, 9. titulum Cephei veteres arae retinent 1, 11, 3. Athos in vertice ſuſtinet aras 2, 2, 10.
arae finium ſigna. V. III. 1. p. 163.
arbor; Thracia raro usquam pomiferam arborem tolerat 2, 2, 1. viri (*Germani*) libris arborum velantur 3, 3, 2.
arcere; niſi unde frigoribus arcentur 1, 2, 3. frigora cultores arcuere 2, 2, 1.
arceſſere; prudentiores (*Indi*) ingerendo ſemet ignibus mortem arceſſunt 3, 7, 3. cauſas bellorum ex libidine arceſſunt Germani 3, 3, 2.
arceſſere non *accerſere* ſcribendum. V. II. 3. p. 90. et p. 228 ſq.
archium; 3, 8, 10. *Quid?* vid. II. 3. p. 306. et III. 3. p. 376.
arcuare; ſinus arcuat mare 3, 8, 1. Araxes arcuato amne deſcendit 3, 5, 5. *Cf.* III. 3. p. 286.
arcuat et *erat*. V. II. 3. p. 260.
arcus; tendere 3, 4, 3.
ardere; ignes una flamma ardent 1, 18, 4. ardentia ſinu abdere 3, 9, 4.
arduus; decem ſtadiorum clivo arduus mons 1, 13, 3.
arena; pleraque arenis ſterilibus obducta 1, 4, 2. arenas quaſi maria agit 1, 18, 1. arenis oſtia (*Nili*) obducunt Eteſiae 1, 9, 4. arenas cum fluctibus litori adplicant Eteſiae *ib.* arenis obducta ſunt 3, 10, 4.
arena an *harena*. V. II. 1. p. 276. II. 3. p. 261.
argenteus; argenteum ſolum 3, 7, 7.
argentum; argento abundat Hiſpania 2, 6, 2.
arma; cum ab armis quies erat 2, 1, 5. cum Cambyſes armis Aegyptum peteret 1, 11, 3. armorum omnium ignari 1, 8, 9. arma ad rogos deferre 2, 2, 4.
armare; Gallice armati 3, 6, 5.
armentum; armenta obliqua cervice paſcuntur 1, 8, 7.
ars; easdem artes feminae, quas viri, exercent 1, 19, 17. ars ſtudiumque ſapientiae 3, 7, 3. arte medicati mortui 1, 9, 6. artibus belli pacisque urbs princeps (*de Mileto*) 1, 17, 1.

artare; artat ſe mare 1, 1, 5.
artare et *coartare*. V. II. 1. p. 42. *et ſ.* re compoſita.
artus ſubſt. ora artusque pingere 2, 1, 10.
artus adi. Arabici ſinus os artius 3, 8, 3. *obpon.* latum; terra artiſſima 2, 2, 7. *obpon.* lata; mare artius 1, 18, 5. cuſtodia 1, 19, 10. ſpatium 1, 1, 4.
artus et *arctus*; utrum melius vid. II. 2. p. 103. *et alibi*, *et Ruperti ad Iuvenal.* 3, 236. *qui tumem ipſe* arctus *praefert.*
arundo; gracilis 2, 6, 7. arundinum ſiſſa internodia 3, 7, 2.
arvum; arva uberrima 1, 7, 5.
arx; Corinthos ex ſumma arce maria utraque contuens 2, 3, 7.
as in accuſativo plurali pro *es*, v. c. *Aethiopas*, *Seras*, *Cyclopas* et alia plura. V. II. 1. p. 65. Corte ad Salluſt. p. 509. Drakenb. ad Sil. Ital. 9, 309. Oudendorp. ad Lucan. 4, 593. et ad Frontin. 2, 4, 1. Verheyk. ad Eutrop. 2, 8. et quos ad Sil. Ital. c. l. laudat Ruperti.
as et *a* promiſcue ponuntur in nominativo, ut *Tyras*, *Hermagoras*, *Marſyas*, *Soſias* — V. II. 2. p. 47. Cf. praeterea Oudendorp. ad Frontin. 3, 10, 9. et, quem excitavit, Bentleius ad Malelam p. 76. et 78. ed. Ven.
as et *aus*, ut *Arceſilas* et *Arceſilaus*. V. II. 1. p. 541 ſq.
aſper; terra multis montibus aſpera 3, 3, 3. aſper deſcenſus in ſpecum 1, 13, 3. continuis rupibus late aſpera et deſerta regio 1, 19, 20. cum in aſperiora devenit Araxes 3, 5, 5. Urias (*ſinus*) plerumque aſper acceſſu 2, 4, 7. aſper Nilus 1, 9, 2. aſperum mare 3, 8, 1. aſper victus 1, 8, 3. victu aſperi inculti-que 3, 3, 2. aſperi et inculti (*de Moſynis*) 1, 19, 10. aſperae gentes *obpon.* pacatae 2, 5, 3. aſper et indecens corporum habitus 2, 2, 1. gens (*Sarmatae*) ut coeli aſperioris, ita ingenii 3, 4, 1. ritus aſperior 2, 1, 12. aſperi efferique mores 3, 9, 5.
aſtrologus; *de Thalete* 1, 17, 1. V. III. 1. p. 482.
aſtus; aſtu fruſtrari rabiem 3, 5, 7.
aſylum; ad eos confugiſſe pro aſylo eſt 1, 19, 20.
at praecedente *ſi non* pro *certe*, *ſaltem* praef. §. 1. V. III. 1. p. 7.
at, *ac* et *atque*. Vid. *ac* et II. 1. p. 185.
at et *ad*. V. II. 1. p. 528.
at et *et*. V. II. 1. p. 345 ſq.
at et *ut*. V. II. 1. p. 14 ſq.
at; quando Mela ponat. V. II. 1. p. 528.
atas et *antes* in participiis. V. II. 2. p. 477.
ator; atrae gentes 2, 7, 5. veſtis 2, 1, 13.
atque unde; 1, 8, 2. 2, 3, 1. 6, 6. *et* 9. 7, 13. V. II. 1. p. 212.

et differt. de Mela c. 6. p. 41. Ita et in fine periodorum vel narrationum ſolet.

atrociter; Garumna iactat navigantes 3, 2, 5.

atrox; *de Ponto Euxino* 1, 19, 6. *de mari Caſpio* 3, 5, 3. *de Nilo* 1, 9, 2. *de freto Siculo* 2, 7, 14. gens immanis et atrox (*de Sarmatis*) 3, 4, 2.

attingere; Vid. adtingere, *ut ſimilia.*

au et *ao*, ut *Laodicea* et *Laudicea*, *Laomedon*, — Vid. Broukhuſ. ad Propert. 2, 2, 2. viri docti ad Ovid. in Ib. 468. Voſſius ad Vellei. 2, 69. Oudendorp. ad Frontin. 1, 11, 7. et quos laudat Graevius et Garaton. ad Ciceron. Verrin. 5, 27. et quae notavi V. II. 1. p. 419.

auctor; oppidi 1, 19, 5. Graeci *de ſcriptoribus* 3, 7, 4. quos ſequi non pigeat 3, 6, 8.

auctoritas; auctoritate certior Nepos 3, 5, 8.

auctumnalis; ſolſtitium 3, 5, 1.

auctus et *actus*. V. II. 3. p. 356.

audere; auſi penitus *ſc. progredi* 1, 13, 3. *De uſu huius verbi abſoluto, ubi ex nexu, quod deeſt, ſubplori debet*, vid. III. 1. p. 419.

avehere; ubi eques interceptos catulos (*tigrium*) coepit avehere 3, 5, 7.

avena; avenis tantum aluntur Oaeones 3, 6, 8. per fiſtulam bibere avenis 3, 9, 4.

avenis et *avent*. V. II. 3. p. 542.

avertere; inde ad meridiem avertitur (*de Euphrate*) 3, 8, 3.

avertere et *advertere*; *averſus* et *adverſus*. Vid. ſupra.

auferri; Rhodanus contra occidentem ablatus 2, 5, 5.

augere; Nilus auget terras 2, 7, 6.

augeſcere; Padus aliis amnibus augeſcit atque alitur 2, 4, 4. Nilus ſpatium augeſcentium terrarum in vicina vada promovet 2, 7, 6.

auguſtus; terra 3, 5, 2. ſpecus 1, 13, 3. *Quae loca auguſta vocentur vid.* III. 3. p. 121.

auguſtus et *anguſtus*. Vid. ſupra.

avis; avium paluſtrium ova 3, 6, 8. cornutae 3, 9, 2. aves pennas, quaſi tela, iaculatae 2, 7, 2.

aula; centum habent Thebae 1, 9, 9.

auris; aures magnae 3, 6, 8.

aurum; penitus terra egeſtum 2, 1, 1. *Cf.* 3, 7, 2. capita auro vincta 2, 1, 9. generat Tagus 3, 1, 6. auro abundat Hiſpania 2, 6, 2.

aureus; ſolum 3, 7, 7.

auſter; plaga auſtro expoſita 2, 5, 3.
avus; avorum noſtrorum temporibus 3, 9, 3.
auxilium; unde his terris olim fuit 2, 5, 2.
axis; falcati (*in curribus*) 3, 6, 5.

B.

b et *h*. Vol. II. 2. p. 206 ſqq.
b et *v* cf. II. 2. p. 325. 359. — Plura dabunt Muncker. ad mythogr. Lat. p. 881. et 905. (ed. Stavereni) Montfaucon ſupplement de l'antiquité expliquée T. 5. liv. 4. ch. 1. p. 90. Gronov. ad Gellium 2, 3. f. Schwartz. ad Plinii Panegyr. p. 63. 77. 127. Cannegieter. in diſſert. de Aviano ad calcem fabularr. c. 7. p. 257 ſqq. et ad fab. 26. f. p. 157. Vinetus ad Eutrop. 3, 9. f. 4. Pierius ad Virgil. Aen. 7, 627. Drakenb. ad Sil. Ital. 8, 475. Saepe id in monumentis vett. accidere contendit Mazochius ad tabul. Heracl. p. 356. et 371.
bacca; ſuccus baccarum 1, 8, 3. Arimphaeis alimenta baccae 1, 19, 20.
bacca et *baca*. V. II. 1. p. 652. et Ruperti ad Iuvenal. 3, 85.
barbarus; barbaro ore corruptus (*ſons*) 3, 9, 8.
barritus; quid? V. II. 3. p. 161. De Alemannorum clamore in pugnis Ammian. 16, 12. p. 113. ed. Gron.
beate; beatius vivunt 3, 5, 2. Fortunatae inſulae beatius alunt, quam aliae urbes excultae 3, 10, 2.
beatus; ad beatiora transeunt animae 2, 2, 3.
bellare; Achivorum bellantium ſtatio 1, 18, 3. bellando animos exercent (*Germani*) 3, 3, 2. mos eſt bellantibus (*Axiacis*) 2, 1, 12.
bellatrix; gens 3, 4, 2.
bellua; vaſtas gignit Nilus 1, 9, 3. marina 1, 11, 3. mare Caſpium belluis magis, quam cetera, refertum 3, 5, 3. belluae loca infeſtant 3, 7, 1.
bellua an *belua* vid. II. 1. p. 328. II. 3. p. 122. et Ruperti ad Iuvenal. 4, 121.
bellum; conditione dirimere 1, 7, 6. de finibus et cum magnis cladibus geſtum *ib.* belli opes et pecunia 1, 11, 3. aliena mercedibus agere 1, 16, 1. Vid. *agere*. belli pacisque artes 1, 17, 1. bella caedesque amant 2, 1, 12. ut forent ad bella meliores (*Galli*) 3, 2, 3. bella cum finitimis gerere 3, 3, 2. cum (*ſimul cum*) viris feminae (*Sarmaticae*) ineunt 3, 4, 2. non novere bella 3, 5, 2. bellorum cauſas et bella contrahunt 3, 6, 5.

bene; navigabilis Nilus 1, 9, 2.
bene et *pene*. Vol. II. 1. p. 314.
benigne; benignius viros alit Thracia *obp.* malignius 2, 2, 1. Britannia fecunda his, quae pecora, quam homines, benignius alant 3, 6, 4. Mauretania frugum genera beniguiſſime procreat 3, 10, 5.
benignus; longa magis, quam benigna materia *prooem.* 1. *Contra malignus, parcus, tenuis. V.* III. 1. *p.* 6.
beſtia; velantur beſtiarum pecudumque pellibus 1, 8, 3. pars beſtiis infeſta ideoque deſerta 3, 8, 8.
bibere; lacus bibitur 3, 9, 2. ex fonte bibere 3, 10, 2. per fiſtulam ſub naribus avenis bibere 3, 9, 4.
biga; Britanni dimicant bigis 3, 6, 5.
bini; binis poculis perpotant 2, 1, 12.
bonus; boni hoſpitibus 3, 3, 2. in luſu riſuque ſummum bonum eſt 1, 19, 10.
bracatus; bracati totum corpus (*de Satarchis*) 2, 1, 10. bracata Gallia 2, 5, 1. *De ſcriptura, an per ſimplex, an per duplex c,* vid. II. 2. p. 369 ſq. Duplici dedit Staveren. in Hygini poet. aſtron. lib. 1. f.
brevis; Africa brevior, quam Europa 1, 4, 1. alveus 1, 13, 3. Pontus Euxinus 1, 19, 6. *poſt* non profundus. *Cf.* II. 1. *p.* 581 *ſq.* breves noctes 3, 6, 9. brevia vadorum 1, 7, 3. *pro uno brevia vel vada.* V. III. 1. p. 184 ſq.
brevitas Melae in accommodatione unius verbi ad diverſa ſubſtantiva. Vid. diſſert. de Mela cap. 6. p. 42.
bria in Thracia lingua eſt *urbs.* Vid. Berkelius ad Stephan. p. 245. et V. III. 2. p. 14. et 101.
briga an *urbs*, an *pons* apud Hiſpanos et Gallos. V. III. 3. p. 22 ſq.
brumalis; rigore durantur flumina 1, 19, 18.
buſtum; fragrantia (*de phoenice*) 3, 8, 10.

C.

c et *g* propter ſimilem pronuntiationem. Tum Graecorum κ ſaepe transit apud Latinos in *g*. Sic *Callipolis, Cnoſos, Cnidus, Candari, Acragas, Procne, cycnus* et alia utraque forma efferuntur, in quibus alterutra eſt uſitatior, ut *Carthacinienſis* in columna Duiliana et aliis monumentis reperitur. V. Noriſii cenotaph. Piſan. diſſ. 4. c. 5. p. 475. qui et alia addit exempla. Sic *pecma* in Phaedro 5, 7, 7. Vid. II. 1. p. 82. 86. 491. 508. II. 2. p. 277. 328. et alibi.
c et *l*. V. II. 3. p. 22.

c et *p*. V. II. 3. p. 245.

c et *t*. V. II. 1. p. 509. 530. II. 2. p. 69 sq. 160. 456. 522.

c et *sc*. V. II. 3. p. 14.

cabiri; *v. index nominum.*

cadere; cadentes adsidue nives 2, 1, 1. cadentes imbres 2, 2, 10.

caecus; tempestas 1, 19, 14. alveus (*de fl.*) 1, 9, 4.

caedere; caesa (*i. e. concisa, vel pro caesorum*) pecorum viscera 2, 1, 9. pro victimis advenas caedere 2, 1, 11. victimas 3, 2, 3. velut hostias parentes caedunt (*Indi quidam*) 3, 7, 3. caesis, qui mares erant 2, 7, 8.

caederent et *celebrent*. V. II. 3. p. 62.

caedere et *credere*. Vid. ib.

caedes; bella caedesque amant 2, 1, 12. expertem esse caedis *ib.* ab ultimis caedibus temperare 3, 2, 3. *V. not.*

caetra; vid. *cetra.*

calcare; calcatum Herculi solum 2, 3, 2.

calx; calcibus subigere farinam 1, 9, 6.

campus; campi nihil alentes 1, 6, 2. pabulo fecundi, alia steriles nudique 1, 19, 19. pelagus modo inundat campos, modo late nudat 3, 1, 1. campos implevit Rhenus 3, 2, 8. campos Armeniae secat Araxes 3, 5, 5. patentes magis, quam ut perspici possint 3, 9, 6.

canalis; angustior pelagi (*de Bosporo Thracio*) 1, 19, 5. Araxes ultra, quam canalem (*i. e. alveum*) habet, undam evehit 3, 5, 5.

canis; figura canis 2, 2, 7. India alit formicas, non minus maximas canibus 3, 7, 2. *i. e. non minus maximae sunt in India formicae, quam canes; et formicae et canes magnitudine excellunt.*

cantus; cantu lusuque celebrare funera 2, 2, 3.

capax; opus facundiae minime capax *prooem.* 1. Rubrum mare animalium magis, quam cetera, capax 3, 8, 1.

capere; nomen 1, 9, 2. cibos 1, 9, 6, humi quies epulaeque capiuntur 1, 8, 3. capit res fidem 1, 6, 2. opinio fidem 2, 2, 10. 3, 9, 6. Cypros novem regna 2, 7, 5. terra circuitum 3, 9, 2. alienam sedem facile cepit (*Massilia*) 2, 5, 3. Atax ipse se non capit 2, 5, 6. ubi eos vivendi taedium cepit 3, 5, 2. capto Ilio 2, 2, 10.

capessere; sedem capessere (*de Phocaeis*) 1, 19, 1. *ubi multi libri dant* capescere. V. III. 1. p. 562.

capital; animalia quaedam interemisse, capital est 1, 9, 7.

capital, an *capitale*. V. II. 1. p. 350 sq.

capulare; piſcis ictu capulantium interfectus 2, 5, 7. *i. e. ex pulo, inſtrumento piſcatorio, interfectus.* V. III. 2. p. 493.
capulare, et *caplare*, *captare*. V. II. 2. p. 405.
caput; Blemyis capita abſunt 1, 8, 10. onera capitibus accipiunt (*viri Aegyptii*) 1, 9, 7. Eſſedones capita (*parentum mortuorum*) fabre expoliunt 2, 1, 9. Perſicus ſinus reddit formam capitis humani 3, 8, 2. *Tum de principio, exordio dicitur, de quo* III. 1. p. 124. *Sic* caput atque exordium Mauretaniae 1, 5, 1. Rhenus prope a capite duos lacus efficit 3, 2, 8. Tinavus novem capitibus exſurgens 2, 4, 3. Hiſpania altero capite (*i. e. fronte ſ. extrema parte*) Gallias contingit 3, 2, 3.
cardo; Hyperborei ſub ipſo ſiderum cardine iacent 3, 5, 1.
carmen; res celebrata carminibus 1, 11, 3. Cithaeron fabulis carminibusque celebratus 2, 3, 4. Thule Graiis et noſtris celebrata carminibus 3, 6, 9. ut Homerico carmine proditum eſt 2, 7, 6. Libethra, carminum fontes 2, 3, 2.
caro; ferina 1, 8, 3. cruda veſci 3, 3, 2. Cf. 3, 7, 3. 3, 8, 4. cruda, recenti veſci 3, 3, 2. caro magnorum piſcium ſole ſiccata 2, 7, 1.
caſtra; caſtra ſemper habitant Sarmatae 3, 4, 2. caſtra late iacentia 3, 9, 6.
catoblepas; non grandis fera, grande caput aegre ſuſtinens, et in terram ore converſa 3, 9, 9.
catulus; catulos (*tigrium*) intercipere 3, 5, 7.
cauſa; nominis duplex iactatur 1, 18, 2. cauſa ex eo eſt, quod 3, 5, 7. cauſas bellorum ex libidine arceſſunt (*Germani*) 3, 3, 2. luna cauſas tantis meatibus (*maris*) praebet 3, 1, 2. Nilus in tantum mutatae Phari cauſas praebuit 2, 7, 6. utrum fiat, ex ſpecie et moribus cauſa eſt 2, 2, 4. hinc opinio cauſae (*de cauſa*) fidem cepit 3, 9, 6.
cautes; eminentia cautium 2, 6, 5. obpoſita cautium 3, 5, 5. frontem ſilvae cautesque exaſperant 3, 8, 6. infixae cautibus ancorae 1, 6, 2.
ce et *oe*. V. II. 2. p. 179.
cedo; ut cedens et ſequens hoſtis exigit 3, 4, 2. vaſte cedentia litora 1, 1, 4. terris in omnem partem vaſte cedentibus 3, 8, 2. hic (*Nilus*) alio cedit, ille (*Nuchul*) aliunde exſurgit 3, 9, 8. ut, quidquid citra (*terminos ſtatutos*) eſſet, popularibus cederet 1, 7, 6.
cedere et *caedere*. V. II. 1. p. 34. II. 3. p. 408.
cedere et *ſedere*. V. II. 3. p. 408.
celeber ſ. *celebris*; locus ingenti urbe celebris 1, 13, 1. fanum Neptuni ludis celebre 2, 3, 7.

celebrare; ludicris natalem (*Minervae*) celebrare 1, 7, 4. Aegipanum, quae celebratur, ea forma eſt 1, 8, 10. res celebrata carminibus ac fabulis 1, 11, 3. ludicro certamine victoriam celebrare 2, 1, 5. Eſſedones victimis funera parentum celebrant 2, 1, 9. funera cantu luſuque celebrantur 2, 2, 3. Cithaeron fabulis carminibusque celebratus 2, 3, 4. Thule Graiis et noſtris celebrata carminibus 3, 6, 9.

celer; et fremens Euphrates 3, 8, 5.

cenſere; quod minus eſt, pretioſius cenſent 3, 9, 1.

certamen; Divarum 1, 18, 4. ludicro celebrare victoriam 2, 1, 5. delubrum Olympii Iovis, certamine gymnico nobile 2, 3, 4. cuius ſit decus, magno certamine adfectant 2, 2, 4.

certus; certae maculae 1, 9, 7. certiſſimum fidei pignus 2, 1, 12. rupes 3, 5, 2. certo anni tempore 3, 8, 9. legati certo tempore dimiſſi 1, 7, 6. nulli certa uxor 1, 8, 7. certis annalibus referunt 1, 9, 8. nomina 3, 6, 2. certo alveo lapſus (*Rhenus*) 3, 2, 8.

cervix; armenta, quae obliqua cervice paſcuntur 1, 8, 7. anguſtis cervicibus (*i. e. iſthmo tenui*) reliqua extendit in latius 1, 17, 3. Cyzicum in cervice paene inſulae ſedet 1, 19, 2. ſinus Perſicus grande oſtium quaſi cervice complectitur 3, 8, 2.

ceterum; 1, 1, 4. *i. e. ſed.* Cf. III. 1, 45. ubi addi poteſt Terent. in Eun. 1, 2, 7. Brutus (ap. Ciceron.) in epiſt. 16.

cetra; V. III. 1. p. 130.

cibus; cibos capere 1, 9, 6.

cinctoria; Neuri pro ſimulacris Marti enſes et cinctoria dedicant 2, 1, 13. De ſenſu II. 2. p. 70.

cinctoria, *tinctoria* et *tentoria*. V. II. 2. p. 69.

cingere; terra ſublimis cingitur undique mari 1, 1, 2. mare, quo cingitur Africa 1, 4, 2. quae cingit Oceanus 1, 4, 5. mare gentibus cingitur 2, 3, 11. Devales Tritium Toboricum cingit 3, 1, 10. Caſpiani ſinum Caſpium cingunt *antea* ambiunt 1, 2, 4. Ionia inflexa cingit oraculum Apollinis; urbem Prienen 1, 17, 1. 2. circuitus, quem cingit Oceanus 3, 1, 1. Ganges magnis flexibus cingit iugum ingens 3, 7, 6.

cingere et *gignere*. V. II. 3. p. 4.

cingere et *tingere*. V. II. 2. p. 79. 469.

cinis; de aris non abluitur, ſed manet 2, 2, 10. humus cineri magis ſit, quam pulveri ſimilis 3, 7, 8.

cinnamum; Arabia cinnami ferax 3, 8, 6. *Alias cinnamomum dicitur.* V. II. 3. p. 274. III. 3. p. 339.

circuire; mare non uno margine circuit 2, 4, 8.

circuitus; plura complecti 1, 17, 2. *Pro eo Iul. Caes. de B. C.* 3, 44. *amplecti, ubi v. Oudendorp.* lacus viginti milia paſſuum in circuitum patens 1, 9, 5. terrarum circuitus 2, 7, 1. circuitus, quem cingit Oceanus 3, 1, 1. capit terra circuitum 3, 9, 3. Gallia grandi circuitu amplexa 3, 2, 1.

circum; nec quisquam circum eam (*inſulam*) iſſe traditur 3, 7, 7. *V. infra* circummeaſſe.

circumagere; Aegaeum pelagus terras magno ambitu circumagit 2, 2, 8.

circumdare; arenoſo circumdatus litore 1, 19, 6. incurvo circumdatus litore 1, 19, 16. ſinus circumdat urbes 2, 4, 8.

circumfundere; univerſus Orbis mari circumfuſus 3, 5, 8. vis circumfuſi aeris confeſtim exanimat 3, 7, 8.

circumluere; litora ſubit ac circumluit pelagus *prooem.* 2.

circummeaſſe, *circum eam eſſe* et *circum eam* (inſulam) *iſſe*. V. II. 3. p. 251.

circumſidere; igues 2, 2, 4. populi dites circumſident (*ſinum*) 1, 12, 4.

circumſignare; ſpatium, quod Ebuſitana humo circumſignaverunt 2, 7, 22.

circumvehere; Hanno magnam partem Oceani circumvectus 3, 9, 3. curſus operis intra extraque circumvectus Orbem 1, 4, 5.

citra; citra magnitudinem (*Maeotis*) prope Ponto ſimilis 1, 19, 16. quidquid citra eſſet 1, 7, 6. citra hanc (*Cirtam*) oppida ſunt — 1, 6, 1.

citrum; citro abundant ſaltus 3, 10, 4.

citus; citus (*eques*) coepit avehere catulos 3, 5, 7. fluvius adeo citus, ut — 3, 5, 5. tam citus inde (*ex oſtio*) profilit Padus, ut — 2, 4, 4.

civis; Ennio cive nobiles Rudiae 2, 4, 7.

cl et *d*, ut *Clupea*, *inclitus* — V. II. 1. p. 155. II. 2. p. 562.

clades; Perſica 2, 3, 6. Romana 2, 7, 7. ſumma advenientium 2, 7, 2. Corinthos clade nota 2, 3, 7. *An ſenſu activo dicatur*, vid. II. 2. p. 502 ſqq.

clam; clam et diu multa docent nobiliſſimos gentis (*Druides*) 3, 2, 3.

clarus; clara locorum nomina 2, 3, 2. clariores Athenae, quam ut indicari egeant 2, 3, 4. Corinthos opibus clara 2, 3, 7. Ilium urbs bello excidioque clariſſima 1, 18, 3. urbes 1, 9, 9. 1, 18, 5. 2, 7, 5. — clariſſimi Aquitanorum 3, 2, 4.

claſſis; infeſta 2, 1, 5. excidium claſſis Perſicae 2, 7, 10. claſſe confligere 1, 12, 1.

claudere; mare promontorio clauditur 3, 8, 10. Lycia promontorio grandem ſinum claudit 1, 15, 1. promontorium, quo ſinus clauditur 1, 17, 3. principum maximus tam diu clauſam (*Britanniam*) aperit 3, 6, 4.

clauſtrum; *clauſtra locorum quae* III. 1. p. 445.

clivus; decem ſtadiorum 1, 13, 3.

coartare et *artare*. Vid. h. v.

coeleſtis; Apis coeleſti igne (*fulmine*) conceptus 1, 9, 7.

coelum; ſitis coeli, *i. e. penuria pluviae* 1, 4, 2. Thracia nec coelo laeta, nec — 2, 2, 1. coelum aſperum 3, 4, 1. fortunatum coelum ſolumque 2, 7, 4. Corſica ſoli, quam coeli, melioris 2, 7, 19. coelum ad maturanda femina iniquum 3, 6, 6.

coepit; Graecia non tam lata, quam coeperat 2, 3, 3. ubi catulos coepit avehere 3, 5, 7. curſus, unde coeperat, redit 1, 4, 5. Aeolis ab Aeoliis incoli coepit *pro coepta eſt*, *ut in hoc nexu ſolet* 1, 18, 1.

coetus; coetus Maenadum 2, 2, 2.

coetus et *coitus*; vid. II. 2. p. 50. 75.

cogere; flamma cogit ſe ac rotundat 1, 18, 4.

cognata nomina uno indicantur. Sic *Antiochia*, pars Syriae, ipſam urbem ſimul innuit 1, 12, 5. *Ceramicus ſinus* Ceramum urbem 1, 16, 2. *Smyrnaeus ſinus* Smyrnam urbem 1, 18, 3. V. III. 1. p. 383. 466. 503.

cognati et *agnati*. V. II. 1. p. 292.

cognomen; unde Minervae cognomen inditum eſt 1, 7, 3. Cf. 1, 4, 3. pars Syriae, cui Antiochiae cognomen additur 1, 12, 5. fons, cui Exampeo cognomen eſt 2, 1, 7. Diolco cognomen eſt (*Iſthmo*) 2, 3, 7. unde Carpathio mari cognomen eſt 2, 7, 13. Limia, cui Oblivionis cognomen eſt 2, 1, 8. ex ſpatio ſui cognominibus acceptis (*de inſulis*) 2, 7, 20. *Leuce*, Achillea cognomine 2, 7, 2. Arabia, cognomen Eudaemon 3, 8, 6. Tiſanuſa (*urbs*) cognomen eſt 1, 16, 2.

cognominare; Lycia, cognominata a Lyco rege 1, 15, 1.

cognoſcere; cognoſci digniſſimum *prooem.* 1. ſatis cognitum eſt 3, 1, 2. requirendo cognoſſe 3, 5, 8. *De hac contractione* vid. II. 3. p. 148.

cohaerere; cohaerentia labra 3, 9, 4.

coire; litora ex diverſo coeunt 1, 1, 4. promontoria ex diverſo 2, 4, 5. ubi Nilus coit 1, 9, 2. *obp.* diffunditur. Ignes coire ac ſe coniungere videntur (*antea* ſparſi ignes) 1, 18, 4.

coitus; feſtus familiarium 2, 1, 9. confuſus parentum 1, 8, 7. coitu pecoris conceptus bos 1, 9, 7.

coitus et *coetus*. Vid. ſupra.

colere; colunt Georgi exercentque agros 2, 1, 11. ne illa quidem enixe colunt, (*Germani*) quae poſſident 3, 3, 2. nihil in his eſt culti 3, 9, 6. Numidia magis eſt culta 1, 6, 1. pars (*Galliae*) eſt magis culta 2, 5, 1. Veneti colunt Togatam Galliam 2, 4, 2. totam Celtici colunt 3, 1, 8. Corſica a barbaris colitur 2, 7, 19. Meſſenii — terras colunt 2, 3, 9. *i. e. incolunt, ut apud alios.* Vid. Daviſ. ad Iul. Caeſ. de B. C. 4, 1. viri docti ad Valer. Max. p. 30. ed. Torren. — *Hinc* cultor. *Vid. h. v. Pro eo alibi* incolere, tenere. Colentium (*Pontum Euxinum*) ſaevum ingenium 1, 19, 6. *i. e. accolentium.* Accolae eximie colunt parmam, *i. e. venerantur* 1, 5, 2. Panionium communiter Iones colunt 1, 17, 2. *Sic* Aegyptii colunt animalia 1, 9, 7. formae ſimilitudine agnoſcunt, quos pro ſuis (*liberis*) colant, *i. e. educent, ſuſtentent* 1, 8, 7. V. II. 1. p. 301.

colere et *tollere*. V. II. 1. p. 302.

colligere; ignes magis magisque collecti (*antea* coire, coniungere) 1, 18, 4. terra quaſi in mucronem longa colligens latera 2, 1, 5. Oceanus rurſus in medium colligitur (*obp.* effuſus) 3, 1, 1. *Eſt nempe contrahere, coercere, in anguſtum cogere. Vid. Broukhuſ. ad Tibull.* 1, 18, 14. *aliique.* Padus parvis ſe primum ex fontibus colligit 2, 4, 4. Inde colligitur, Nilum hoc fonte conceptum 3, 9, 8.

collis; admodum editus 1, 14, 1. modicus 3, 10, 5. in mare emiſſus 1, 16, 2. viret collis longo tractu obductus 3, 9, 6.

collocare; mortuos arte medicatos intra penetralia collocant (*de Aegyptiis*) 1, 9, 6. Myrleam Colophonii collocavere 1, 19, 3.

colloquium; Gamphaſantes aliorum colloquia non patiuntur 1, 8, 9.

colonia; parvae coloniae 1, 19, 2. 2, 2, 10. coloniae Aeolicorum 1, 18, 3. Argivorum 1, 16, 3. Atacinorum 2, 5, 2. Decimanorum *ib.* Mileſiorum 1, 19, 8. Octavanorum 2, 5, 3. Pelaſgorum 1, 19, 2. 2, 2, 10. populi Romani 1, 7, 2. Rhodiorum 1, 16, 2. Romana 2, 3, 13. Samiorum 1, 13, 5. Sittianorum 1, 6, 1.

colonia et *columna*. V. II. 2. p. 339.

color; eius coloris eſt 3, 8, 1. ferae, omni colore varii Lycaones 3, 9, 2.

columna; columna Rhegia 2, 4, 8. columnae Herculis 1, 5, 3. 2, 6, 8.

columna et *colonia*. Vid. antea.

commeatus; mare, non commeatus eum defecit 3, 9, 3.

commercium; opes facili commercio permutare 1, 12, 4. rebus in ſolitudine relictis, abſens commercium peragit (*de Serum gente*) 3, 7, 1. amoris, 1, 19, 1.

comminiſci; regnum proeliumque commenti (*Phoenices*) 1, 12, 1.
committere; qua paludi committitur, (*antea* coniungitur) (*Cimmerius Bosporus*) ubi ſe (*Syria*) Ciliciae committit 1, 11, 2.
commodus; inde eſt commodiſſimum incipere 1, 4, 5. 2, 7, 1.
commune; nihil in commune conſultant 1, 8, 4. *i. e. de rebus publicis nihil invicem deliberant.* V. III. 1. p. 222.
communiter; Panionium communiter Iones colunt 1, 17, 2.
comparativus; exprimitur per *magis* cum poſitivo, ut *magis cultus* (1, 6, 1.) *horribilis* (1, 13, 3.) *pernix* (3, 5, 5.) *capax* (3, 8, 1.) *laeta et ditior Arabia* (1, 10, 1.) *clara Ogyris* (3, 8, 6.) multo magis longa latera (3, 8, 3.). Cf. III. 1. p. 147. 325. et in diſſert. de Mela cap. 6. p. 41.
comperire; recedere atque adventare comperimus 3, 1, 2.
complecti; oſtium 3, 8, 2. ora Aſiae Maeotida gremio ad Tanaim usque complexa 1, 2, 2. ſpecus totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur 1, 13, 3. Ionia inflexa ut maiore circuitu, ita plura complectitur 1, 17, 2. ſinus complectitur urbes 2, 6, 6. *An paſſive dicatur, vid.* II. 1. p. 63.
complecti et *amplecti*. V. II. 1. p. 23.
complexus et *compreſſus*. V. II. 1. p. 61.
complures; aliae *ſc. urbes* 2, 7, 16.
compoſita et *ſimplicia* inter ſe commutari ſolent, uti docent loca plurima.
compreſſus et *complexus*. Vid. antea.
concavus; mons 2, 6, 8.
conciere; concitum magnis aeſtibus pelagus 3, 1, 1.
concipere; phoenix non coitu concipitur 3, 8, 10. phoenix ipſa ſe concipit ib. Apis bos divinitus conceptus 1, 9, 7. Nilus hoc fonte conceptus 3, 9, 8. *Sic Curtius* 6, 4, 5. — Ganges multis fontibus conceptus 3, 7, 6. Indus conceptam pluribus alveis undam trahit ib. nomina, quae noſtro ore concipi nequeunt 3, 1, 10.
concitare; carminibus ventos, maria 3, 6, 3.
concreſcere; limus concretarum paludum 3, 8, 9. phoenix putreſcentium membrorum tabe concreſcens 3, 8, 10.
concumbere; cum plurimis 1, 8, 8. promiſce et palam 1, 9, 10. *Utrumque de coitu.*
concurrere; Symplegades creditae concurrere 2, 7, 3. ubi legati utrimque dimiſſi, concurrerent 1, 7, 6.
condere; oppidum (*Tingi*) ab Antaeo conditum 1, 5, 2. oppidum Cherrone a Diana 2, 1, 3. Iope ante diluvium condita 1, 11, 3. Roma a paſtoribus 2, 4, 2. Phaſelis a Mopſo 1, 14, 2. Aenos ab Aenea 2, 2, 8. *Ita de auctore, vel coloniae deductore. Cf. Gruner. ad Eutrop.* 1, 1, 18. ſ. 20. *Barth. ad*

Statii Silv. 4, 3, 72. *Weſſeling. in obſervatt.* 2, 16. — delubrum Veneris ab Aenea conditum 2, 7, 17. Pelorus ab Hannibale ibidem conditus, *i. e. ſepultus* 2, 7, 15.
conditio; conditione bellum dirimere 1, 7, 6.
conditio et *condictio*. Vol. II. 1. p. 271.
conditor; urbis 1, 18, 1. templi 1, 19, 5. 3, 6, 1.
conſicere; pugna 3, 8, 9. trahendo hoſtes 1, 19, 17.
conſicere et *adſicere*. V. ſ. l.
conſinium; conſinia Aſiae 1, 4, 3. 3, 5, 1. aliarum terrarum 1, 2, 1. urbes conſinio adnexae muri 1, 7, 3. gentium 3, 3, 1. Maeotidis 1, 19, 14.
conſligere; claſſe 1, 12, 1.
conſundere; conſuſus parentum coitus 1, 8, 7.
congreſſus; aliorum non pati 1, 8, 9.
coniectare; videri poteſt coniectantibus 2, 7, 6.
coniectantes et *conſectantes*. V. II. 2. p. 494.
coniunctivus et *indicativus*. V. II. 3. p. 6. 90. 262.
coniungere; magnae paludi (*Maeotidi*) coniungitur (*Pontus*) 1, 1, 4. Pharos Alexandriae ponte 2, 7, 6.
coniurare; coniurantes in Troiam Graii 2, 3, 6. *i. e. foedus ineuntes.*
conſecrare; oſſa memorando funere 3, 8, 10. oſſa delubro 2, 2, 7. templum 1, 17, 2. Eleuſin Cereri conſecrata 2, 3, 4. Marti inſula 2, 7, 2. Dianae templum 1, 17, 2.
conſectantes et *coniectantes*. Vid. antea.
conſequi; equitem progreſſum 2, 5, 7.
conſerere; magis conſita Gallia 2, 5, 1.
conſociare; non ſe creditur conſociare Alpheus pelago 2, 7, 16.
conſociare et *ſociare*. V. II. 2. p. 572.
conſtare; conſtat opus fere gentium locorumque nominibus *prooem.* 1.
conſternere; mentes accedentium primo adſpectu conſternit (*Corycius ſpecus*) 1, 13, 3.
conſtituere; *de urbibus dicitur* 1, 11, 2. 1, 19, 14. *et pro eo* ſtatuere 1, 17, 2. *Cf.* III. 1. p. 624. *et alibi* ponere. Templum 3, 6, 1.
conſuetudo; corpora ad conſuetudinem laborum exercere 3, 3, 2.
conſuetudo et *adſuetudo*. V. II. 3. p. 86.
conſulere; oracula 1, 8, 8. antiſtites oraculi 3, 6, 3.
conſultare; in commune 1, 8, 4. *Vid. ſupra* communis.
conſumere; parentum corpora epulando (*de Eſſedonibus*) 2, 1, 9.
conſurgere; denſe conſurgit Atlas 3, 10, 1. cautes, ut gradus, conſurgunt 2, 6, 5.

contemplari; ubi contemplari duravere 1, 13, 3.
contendere; cum in hoc contenditur, vincere laetum 2, 2, 4.
conterminus; Alexandria Africae contermina 1, 9, 9.
continens; qua continenti adhaeret Athos 2, 2, 10. angusto aggere continenti adnectitur (*de Mesua colle*) 2, 5, 6. Sicilia aliquando continens 2, 7, 14. una et continens terra 3, 6, 8. ut longius a continenti absunt 2, 6, 5.
continenter; expositi montes 1, 5, 5.
continere; mare contentum ripis insularum 3, 3, 4.
contingere; terras ab oriente contingit Atlanticus Oceanus 1, 5, 1. Aegyptus dorso Aethiopiam 1, 9, 1. maria Nostra contingit Taurus 1, 15, 2. Thracia Istro pelagoque contingitur 2, 2, 1. Hispania Tarraconensis altero capite Lusitaniam contingens 2, 6, 3. finum parva oppida contingunt 3, 1, 5. ex nidore hilaritas contingit 2, 2, 4. quibus ars studiumque sapientiae contingit 3, 7, 3. aliena non contingunt 2, 1, 11.
contingere et *adtingere*. V. II. 2. p. 416. Cf. Havercamp. ad Oros. 1, 1. p. 7.
continuo; Lycia continuo *sc.* sequitur 1, 15, 1.
latus, *ſubſtantivum*; Luſitania latere obiecta eſt ad ſeptemtriones 2, 6, 3. Hiſpania Tarraconenſis mari latera obiicit Noſtro *ib.* mare Helleſponti freto litus obvium findit, facitque, ut iterum terrae, qua fluit, latera ſint, *i. e. terrae anguſto ſpatio diviſae ſimiles ſint iis ad fretum Herculeum* 1, 18, 5. Pyrenaeus trahit perpetua latera continuus, donec — 2, 6, 1. longa latera ſinus Arabici 3, 8, 3. qua Hellesponto latere adiacet Europa 1, 3, 1. ſiniſtrum 2, 1, 1. Ponticum 1, 2, 2. lateribus longis in altum immiſſis 2, 3, 1. mari latera eius (*Helladis*) intrante 2, 3, 3. effundi in latus *ib.* latus orae incidens Rhion 2, 3, 9. medium aperit mons 2, 6, 8. retro abſtrahit Britannia 3, 6, 4. promontorii 3, 1, 6. 7. toto latere terra convertitur ad — 3, 1, 9. qua latera agit Thracia 2, 2, 1. terra longa latera quaſi mucronem colligens 2, 1, 5. frons lateris *ib.* laterum nemoroſus orbis 1, 13, 3. terra in duo latera, quae hemiſphaeria vocant, diviſa 1, 1, 2. *poſt* §. 6. *dicit* partes; Gallia in duo latera diviſa, *i. e. partes* 2, 5, 1. Cf. III. 1. p. 28. *Obponitur* frons 2, 6, 3. *Diverſo reſpectu* latus *adpellatur etiam* frons. Cf. 1, 3, 5. et 2, 6, 3. *De parte mari adſita ſemper a Noſtro dici, contendit Voſſius. V.* III. 2. *p.* 513.

latus et *litus*. V. II. 1. p. 169. II. 2. p. 220. 413. 593. II. 3. p. 153. 167.

latus et *lacus*. Vid. *lacus*.

latus, *adiectivum*; regio in latum modice patens 1, 19, 15. promontorium lata ſede procurrens 3, 1, 6.

latus et *altus*. Vid. *altus*.

latius et *altius*. Vid. ſub h. v.

latius et *laxius*. V. II. 2. p. 153.

laxare; mare ſe modice laxat (*ubi eſt Propontis*) 1, 1, 4.

laxe; ubi laxius patet (*Pallene*) 2, 3, 11.

laxius et *latius*. Vid. *latius*.

legere; cui potiſſimum pareant, ſpecie ac viribus legunt (*Aethiopes*) 3, 9, 1. *Plerumque tamen nautico ſenſu ponitur, ut* legere litora 2, 3, 6. 2, 6, 5. Sunii tractum legentes 2, 2, 8. legere illa, quae cingit Oceanus 1, 4, 5. Cf. III. 1. p. 117. III. 2. p. 123.

lentus; lenta crura 3, 10, 3.

letum; Calauria Demoſthenis leto nobilis 2, 7, 10.

lex; ſine lege et paſſim diſperſa 1, 8, 4.

l et *ll*. V. II. 2. p. 269.

liber; parentes cum egent, illis (*feminis*) neceſſe eſt, his (*viris*) liberum alere 1, 9, 6. libera gens 3, 4, 2.

liber; libris arborum velari 3, 6, 2.

liberi; plures ſunt 1, 8, 4.

libet; non libet praeterire 3, 6, 1. ubi libet veſci, volentibus licet 3, 9, 2.

libido; mendacii 2, 5, 7. veſcendi inceſſit 3, 9, 4. ex libidine cauſas belli arceſſere 3, 3, 2.

licet; veſci volentibus 3, 9, 2.

ligneus; turres 1, 19, 10. urbs 1, 19, 19.

lignum; vaſa ligno fiunt 1, 8, 3. lignorum egentes 2, 1, 14.

limes; directus 1, 3, 2. *i. e. rectus.* V. III. 1. p. 98. longo rectoque limite extentus 1, 19, 6. longo limite immiſſus Pyrenaeus 2, 6, 1.

limus; limo obliti 1, 9, 6. limum litori adnectens auget terras 2, 7, 6. limus concretarum paludium 3, 8, 9.

limus, *fimus* et *fumus*. V. II. 1. p. 347.

lingua; *i. e. mugitus bovis* 1, 9, 7. populi ſine linguis 3, 9, 4.

linum; lino aut lanis veſtiri 3, 7, 3. linum alit Hiſpania 2, 6, 2.

liquidus; liquidiſſimus lacus 3, 9, 2. liquidiſſimus defluit Boryſthenes 2, 1, 6.

litera; Phoenices literas et literarum operas (*i. e. uſum*) commenti 1, 12. *De ſenſu v. varia* III. 1. *p.* 366 *ſqq.* Aegyptii literis perverſe utuntur 1, 9, 6. (*V. perverſe*) literis mandatum ſervant Aegyptii 1, 9, 8. Sicilia Graecae literae imaginem, quae Delta dicitur, efficit 2, 7, 14.

litus; terrae ad occidentem litus exporrigunt 3, 1, 10. Gallia ad occidentem litus advertit 3, 2, 1. inſula medium litus abducit 3, 6, 1. vaſte litus impellit pelagus 2, 2, 8. ora (*Ponti*) incurvis contra ſe litoribus obtenditur 2, 2, 5. mare abigit vaſte cedentia litora 1, 1, 4. ora (*Aſiae*) ſua litora porrigit 1, 2, 2. litora late tenet Syria 1, 11, 1. ſinus litora incurvat 1, 18, 3. Pontus molli circumdatus litore 1, 19, 6. lacus (*Maeotis*) incurvo circumdatus litore 1, 19, 16. ſinus Apulo litore cinctus 2, 4, 7. legere 2, 3, 6. 2, 6, 4. ſuperna litora occupat Padus 2, 4, 4. amoena 2, 4, 9. ignobile, lapideum 2, 5, 4. Oceanicum 3, 3, 1. directum 3, 6, 4. curvum 1, 19, 14. importuoſum 1, 7, 5. litorum magnus receſſus 2, 3, 11. aequalis tractus 3, 6, 6. proxima litora montes efficiunt 2, 6, 8. litoribus adpoſitae inſulae 2, 7, 8. ripae potius ſunt, quam litora 3, 9, 3. *Ex his adparet*, *ab* ora *non ſolum differre*, *ſed et orae tribui*, (v. III. 1. p. 13. 96. 1, 7, 5. 3, 2, 1, et 6.—)

tum litus *ad mare pertinere*, ripam *ad flumina*. V. III. 2. p. 21. *De ſcriptura per* t *ſimplex* cf. II. 1. p. 35.

litus et *latus*. Vid. *latus*.

locare; locantur publice virgines 2, 2, 4.

locus; nec pugnae nec pecuniae locus eſt 2, 2, 4. locus adparatis epulis ſemper refertus 3, 9, 2. de locis atque urbibus haec memoranda 2, 3, 4. locus quem Graji μακρὸν τεῖχος adpellant 2, 2, 6. Cervaria locus 2, 5, 8. *De geographico ſenſu cf.* III. 2. *p.* 106.

locus et *lacus*. Vid. *lacus*.

locus et *iocus*. Vid. *iocus*.

longe; Alpes longe lateque diffuſae 2, 4, 10. longe lateque ripae recedunt 3, 2, 8. lacus longe lateque diffuſus 1, 19, 16. longe ſatis a litore 1, 6, 2. haud longe iacere 1, 19, 4. non longe orta flumina 3, 1, 8. hinc non longe eſt Olympus 2, 3, 2. longe ab eo Taurus adtollitur 3, 7, 1. non longe a mari 2, 1, 7. 2, 4, 3. 3, 1, 5. 3, 5, 6. non longe ab Iſtri fontibus 2, 5, 5. non longe a Colchis 2, 7, 2. non longe inter ſe diſtant Baleares 2, 7, 20. non longe diſtantes inſulae 3, 3, 4. terra longe diſtenta 2, 1, 5. Athos toto longe dorſo procedit in pelagus 2, 2, 10. ubi longe abit Italia 2. 4, 1. longe occaſurus ſol 3, 6, 9. longe progreſſus eques 3, 5, 7. Strymon longe ortus 2, 2, 9. Boryſthenes longe venit 2, 1, 6. Syria longe potentiſſima 1, 11, 2. ut longius a continenti abſunt 3, 6, 5.

longitudo; *quae ſit et qualis terrae*, *vid.* III. 1. *p.* 59.

longus; longa materia *prooem.* §. 1. dimidio longior aetas 2, 2, 10. longius dimidio vitae ſpatium agere 3, 9, 1. longo rectoque tractu 3, 2, 1. longiſſima apud eos (*Germanos*) pueritia 3, 3, 2.

loquentes et *iocantes*. V. II. 2. p. 61.

lucidus; noctes 3, 6, 9.

lucus; ſilvaeque 1, 9, 5. fabula vetere aureae pellis nobilis 1, 19, 12. immanibus amoena Gallia 3, 2, 2. pendentibus virens ſpecus 1, 13, 3.

ludicer; certamen 2, 1, 5. ludicris virginum inter ſe decertantium diem natalem celebrare 1, 7, 4. Cf. III. 1. p. 189.

ludus; fanum Iſthmicis ludis celebre 2, 3, 7.

lugere; lugentur puerperia 2, 2, 3.

luna; luna cauſas tantis meatibus (*maris*) praebet 3, 1, 2.

lupus; Neuri in lupos mutantur 2, 1, 13.

luſus; cantu luſuque celebrare funera 2, 2, 3. in luſu riſuque ſummum bonum eſt 1, 19, 10.

luſus et *luxus*. V. II. 1. p. 603.

lutum; inter manus ſubigere 1, 9, 6.
lux; lux adpropinquat 1, 18, 4. fons luce fit frigidus 1, 8, 1.
luxurioſus; luxurioſa herbis Iuverna 3, 6, 6.
luxus et *luſus*. Vid. antea.

M.

m addi et omitti ſolet. Vid. *direptis* et *diremtis* in *dirimo*; it. *eminentiam* et *eminentia* cautium 2, 6, 5. V. II. 2. p. 424.
macer; et exilis aliquatenus (*de Pado*) 2, 4, 4.
macies; in maciem ire 3, 7, 3.
macula; bos certis maculis inſignis 1, 9, 7.
magalia et *mapalia* quatenus differant, vid. III. 1. p. 217 ſq.
magis; *cum poſitivo pro comparativo*, *ut* Arabia magis culta et ditior 1, 6, 1. 1, 10. *in. V.* III. 1. *p.* 147. *Cf. etiam ſupra* comparativus.
magis et *potius* ſequente *quam* paſſim omittuntur. V. II. 3. p. 366.
magis; fera magis (*i. e. praecipue*) referenda, quod 3, 9, 9. Gallia — ſe extendit, magisque et magis latior ad occidentem abit — 2, 6, 2. *ubi quidam codices prius* magisque *omittunt*; *contra addunt* 1, 7, 3. magis, *ubi vulgo ſimpliciter et melius editur* magisque. V. II. 1. p. 262. magis quam ut 1, 13, 3. 3, 7, 5. magis vel minus 2, 1, 10. quanto magis procedit (*Garumna*), eo latior fit 3, 2, 5. *ubi quidam τὸ* magis *eiiciunt*, *quod alibi omittatur*, *ut* 1, 18, 4. *V.* II. 3. *p.* 73. Maxime *vid. infra.*
magis et *potius*. V. II. 3. p. 366.
magiſter; magiſtri ſapientiae 3, 2, 3.
magnitudo; terrae mundique 3, 2, 3. anteſtare alias (*inſulas*) 3, 6, 7. Indus paene Gangen magnitudine exaequat 3, 7, 6.
magnus; magnae gentes 1, 15, 2. 2, 1, 8. maior fit Nilus (*antea* creſcit) 1, 9, 4. tibiae maius ſonantes humanis 3, 9, 6.
maiores; ut quique maioribus praeſtant 2, 1, 10.
maleficus; genus animalium 1, 4, 2. ſerpentium 2, 7, 22.
maligne; patiens eorum, (*Thracia*) quae feruntur, 2, 2, 1. *cui obponitur ibi* benigne alere. *Cf.* III. 2. *p.* 65.
mamma; dextra aduritur natis 3, 4, 2.
mandare; mandatum literis ſervant Aegyptii 1, 9, 8.
mandere; mandendos obiectare equis advenas (*de Diomede*) 2, 2, 9.
manere; manent veſtigia feritatis abolitae 3, 2, 3. annorum, quis manet numerus, principia 3, 6, 1. manſurae fidei pignus 2, 1, 12. non manebatur in eo, quod convenerat 1, 7, 6. *de pactis. V.* III. 1. *p.* 197. manent dominas proci 2, 2, 4.

manes; ſpecus ad manes pervius 1, 19, 7. manes tantum Deos putant Augilae 1, 8, 8. vita altera ad manes 3, 2, 3. *De vi vocis vid.* III. 1. *p.* 233 *ſqq.*

manifeſtare; id manifeſtat 2, 5, 7.

manifeſtus; manifeſtum eſt eo, quod — 1, 9, 3. nusquam manifeſtus exitus (*Euphratis*) 3, 8, 5. in utram partem eat (*Araxes*), non manifeſtus 3, 5, 5. manifeſtior ſol 3, 6, 9.

manus; ſi detur in manus, *i. e. ſi liberum ſit* 2, 2, 4. lutum inter manus ſubigunt 1, 9, 6. carnem manibus pedibusque ſubigere 3, 3, 2. expedita in ictus manus 3, 4, 2. manu factus amnis 3, 8, 7.

mapalia; domicilia, quae mapalia adpellantur 1, 8, 3. *De ſcriptura per* p *ſimplex vid.* II. 1. *p.* 289. *Quomodo differant* mapalia *et* magalia, *vid.* III. 1. *p.* 217 *ſq.*

mare; latius funditur 1, 5, 4. ſit apertius 1, 19, 2. latera (*Helladis*) intrat 2, 3, 3. irrumpit terras 3, 5, 3. reciprocata 3, 1, 2. diffuſum patensque 2, 4, 8. ſuperum et inferum (*Hadriaticum et Tuſcum*) 2, 4, 1. Noſtrum; *vid. Noſter;* procelloſum, aſperum 3, 8, 1. rapidum 2, 7, 9. Ponticum 2, 1, 5. navigata 2, 2, 7. *Alia in Geographicis quaerenda.* Maria ex Oceano recipere 1, 1, 19. qua ſinus mare accipit 1, 7, 3. ſinus mare cingit *ib.* navibus adire 1, 12, 1. ingredi 2, 1, 5. mari vaſto adſidentes gentes 1, 19, 14. mari mons imminens 3, 7, 1. mari latera obiicit (*Hiſpania Tarraconenſis*) 2, 6, 3. mari in ſe recepto (*de Luſitania*) 2, 6, 3. terra mari cingitur 1, 1, 8. ex mari egreſſa Venus 2, 7, 5.

mari et *muri.* V. II. 1. p. 531.

margarita; margaritas gemmasque generantia flumina 3, 6, 5.

margo; transverſus (*tribuitur litori*) 1, 2, 2. frons recto margine iacens (*antea* recta ripa) extenditur ad — 3, 1, 7. ubi marginem (*ripam*) rupit Euphrates 3, 8, 5. frons mare non uno margine circuit, ſed per ſinus recipit 2, 4, 8. aequali margine obductus lacus (*Maeotis*) 1, 19, 16. perpetuus margo directi litoris 3, 6, 4. *Dicitur de litore, ripa latius, anguſtius de extremitatibus.* V. III. 1. p. 64. *praeter loca hic adpoſita. De genere in libris ancipiti vid.* II. 3. *p.* 28. 167.

marinus; opibus dites 3, 7, 5. bellua 1, 11, 3. animalia (*obp.* terreſtria) 3, 1, 1. aquae (*obp.* dulces) 2, 4, 4. 2, 5, 7.

maritimus; urbs 1, 12, 2. 2, 6, 5.

mas; omnibus, qui mares erant, caeſis 2, 7, 8. ſine coitu marium fecundae feminae 3, 9, 5.

mater; palus, quam Matrem eius (*Hypanis*) accolae adpellant 2, 1, 7. V. III. 2. p. 37.

materia; longa eſt magis, quam benigna (*de argumento geographico*) *prooem.* 1. Roma, ſi pro materia dicatur, alterum opus 2, 4, 3. aut materia ingeſſit Gr. auctoribus, aut error 3, 7, 4.

maturare; fructus 2, 2, 1. ſemina 3, 6, 6.

maxime; conſuetudo maxime frigoris 3, 3, 2. Africa maxime anguſta 1, 4, 1. *Cf.* 2, 6, 2. illuſtris Pella 2, 3, 1. haec m. memoranda 2, 3, 4. delubrum m. nobile *ib.* Marathon Perſica maxime clade pernotus 2, 3, 6. m. laetum 2, 2, 4. m. clara oppida 2, 3, 10. mons maxime memoratus ob — 2, 7, 17. de ſerpentibus memorandi maxime 3, 8, 8. ut maxime videtur 3, 7, 7.

meatus; luna cauſas tantis meatibus maris praebet 3, 1, 2.

medicare; mortui arte medicati 1, 9, 6.

mediterraneus; urbes (*i. e. procul a mari*) 2, 6, 4. *Vid.* interior *ſupra*. *Mediterraneum mare* a poſterioribus dicitur. V. III. 1. p. 46.

medius; in medio mari Creta 2, 7, 12. *De ſenſu vid.* III. 2. p. 790. Litus 1, 6, 1. litora 1, 19, 8. in media (*Sicilia* ſ. *medio Siciliae*) ortus amnis Himera 2, 7, 17. nox 1, 8, 1. *Saepe* medium *ſubſtantive ponitur, ut* huius (*mundi*) medio terra mari undique cingitur 1, 1, 2. media Eoae partis (*Aſiae*) Seres incolunt 1, 2, 3. in media Pontici lateris pertinens Scythia 1, 3, 4. media orae habitantes 3, 2, 7. in medio inſulae 3, 8, 6.

mel; frondibus defluunt 3, 7, 2. *mel Calydnium et Calymnium*; vid. II. 2. p. 535.

melior; ſolo melior, quam viris Mauretania 1, 5, 4. ut forent ad bella meliores 3, 2, 3.

membrum; putreſcentia 3, 8, 10.

membra corporis ad regionum — ſitum referuntur. Multa Euſtath. ad Homer. Il. 2. p. 233. ed. Baſil.

memorabilis; Cherſoneſus ob multa 2, 2, 7. Aegates clade Romana 2, 7, 7. turris Auguſti titulo 3, 1, 8. nihil memorabile occurrit 3, 9, 5.

memorare; ultra Amazones Hyperborei eſſe memorantur 1, 2, 4. qui ultra deſerta eſſe memorantur 1, 8, 5. Tauri Oreſtis adventu maxime memorati 2, 1, 11. montes gigantum fabula belloque memorati 2, 3, 2. Idaeus mons iudicio Paridis memoratus 1, 18, 4. Eryx mons memoratur ob — 2, 7, 17. ſpecus natura fabulaque memorandus 1, 13, 4. Abdera magis id memorandum habet, quod — 2, 2, 9. haec maxime memoranda ſunt 2, 3, 4. memorando funere conſecrare oſſa (*de phoenice*) 3, 8, 10.

memorantur et *commemorantur*. V. II. 1. p. 293.
memoratus; Hanno memoratu retulerat 3, 9, 3. *Cf.* II. 3. *p.* 358.
mendacium; mendacii libido 2, 5, 7.
mens; mentes accedentium primo adſpectu conſternare (*de ſpecu*) 1, 13, 3.
mentio; laetiſſima 2, 1, 12. mentio oppidorum tantum ad ordinem facit (*al.* pertinet) 2, 6, 7.
merces; bella mercedibus agere 1, 16, 1. mercede quaeruntur nupturae virgines 2, 2, 4.
merere, viri pedibus merent 1, 19, 17. culpam 1, 19, 10.
merere et *inhaerere*. V. II. 1. p. 642.
meridies; qua ſol decurrit, meridies 1, 1, 1. per meridiem 1, 8, 1.
merx; mercium emporium 1, 10.
meſſis; ſemina plures meſſes ferunt 3, 6, 2.
metiri; copias numero — ſpatio 2, 2, 8.
micare; paſſim ſparſi ignes micant 1, 18, 4. nocte crebri ignes 3, 9, 6.
mile; mile paſſus 1, 1, 4. *et paſſim. De ſcriptura per* l *et* ll *vid.* II. 1. *p.* 34. 356. II. 2. *p.* 184. *et paſſim alibi.*
milia; quinque milium ſpatio 2, 1, 4. *Cf.* 2, 3, 7. 2, 7, 9. *ubi codices quidam addunt* paſſuum. V. II. 2. p. 512.
militia; vacare militia 1, 19, 17.
minimum; frumenta ſeptem minimum meſſes ferunt 3, 6, 2.
minus; minus mile paſſibus 1, 1, 4. formicae non minus maximae canibus 3, 7, 2. *Vid. formica.* Sinus minus ac minus latus quodam faſtigio 3, 8, 3. corporibus minores 3, 9, 7.
minutus; arundo gracilisque 2, 5, 7. genus Pygmaei 3, 8, 8.
mirabilis; angues ob magnitudinem mirabiles 1, 19, 3. Arethuſa 2, 7, 16.
mire; fertilis terra 1, 9, 1. Gryphi aurum mire amant mireque cuſtodiunt 2, 1, 1.
mirificus; ſpecus 1, 13, 3.
mirus; mirae magnitudinis urbs 1, 11, 2. facinus 2, 2, 7. ignis adeo mirum in modum placuit 3, 9, 4. mirum ad modum 1, 6, 2. mira alia ſunt in illis terris 1, 9, 5. mirum, quam facile — 2, 5, 3.
miſcere; facili commercio et permutare opes 1, 12, 4.
mitigare; Thracia non maturat ac mitigat fructus (*vitis*) 2, 2, 1.
mitis; mites ſupplicibus 3, 3, 2. animalia, quae de agreſtibus mitia ſunt 2, 7, 21.
mittere; primitias Delon 3, 5, 2. miſſi ad dirimendum bellum 1, 7, 6. *poſt* dimiſſi; Nilus ex deſertis Africae miſſus 1, 9, 2.

mittere et *emittere*. V. II. 1. p. 306.

modice; ſpatioſa terra 2, 1, 5. in latum patens regio 1, 19, 15. in litora ingredi (*de ſinu*) 2, 3, 1.

modicus; collis 3, 10, 5. amnis 2, 6, 5. flexus 3, 1, 7. 3, 8, 8. receſſus 3, 1, 9. ſinus 1, 19, 4. modicus ſpatio ſinus 2, 4, 7.

modo; Europa modo ſiniſtro latere adpoſita 2, 1, 1. ingens modo et navigabilis (*Euphrates*) 3, 8, 5. modo — modo 3, 1, 1.

modus; non in aetate modus eſt (*i. e. non habetur ratio*) 1, 19, 17. quo ſingulae (*partes*) modo ſint atque habitentur *proœm.* 2. mirum ad modum 1, 6, 2. mirum in modum 3, 9, 4. Vid. *mirus*.

moerere; vocibus 2, 2, 4.

moles; montium 1, 5, 3.

mollire; mollitis aliquantum moribus 1, 19, 6.

mollis; ambitus 2, 2, 8. non mollibus faſtigiis 1, 19, 6. non molli neque arenoſo litore *ib.* *Eſt lenis, cui obponitur praeceps, arduus.* V. II. 1. p. 105 ſq. 524. 576.

molliter; ſe faſtigat Africa 1, 4, 1. ſinus molliter flexus (*i. e. paullatim, leniter*) 1, 18, 2. *Vid. proxime antea* mollis.

mons; altus 2, 2, 10. 3, 9, 5. adeo elatus 2, 2, 10. Idaeus 1, 18, 3. 2, 7, 12. praealtus 1, 5, 3. praeceps 3, 10, 1. vaſti 3, 9, 3. montium moles 1, 5, 3. hinc orti montes ſe exporrigunt 1, 19, 13. adtollit Thracia 2, 2, 2. Hiſpania 1, 5, 3. Caſio monte adtollitur Arabia 1, 10. Taurus adtollitur 3, 7, 1. furgit 1, 19, 20. 2, 2, 10. 3, 10, 1. mari imminet 3, 7, 1. in tantum altitudinis abit Haemos 2, 2, 2. litori adpoſitus 1, 13, 3. montes in ordinem expoſiti 1, 5, 5. imminet a tergo 1, 19, 2. proxima inter ſe litora montes efficiunt 2, 6, 8. ſpecus montem aperit 1, 13, 3. montibus aſpera terra 3, 3, 3. vaſtis montibus omnia praeciſa 3, 9, 3. mons (*Haemos*) ex ſummo vertice oſtendit Euxinum et Hadriam 2, 2, 2.

monſtrare; monſtrari eget 2, 4, 1.

monumentum; Mauſoli 1, 16, 3. Caepionis 3, 1, 4. Erythrae 3, 8, 6. Arati 1, 13, 2. regiae gentis 1, 6, 1. *De ſcriptura per* i *et* u *vid. II. 1. p. 237. 439. et alibi, ubi in utramque partem diſcedunt libri.*

monumentum et *munimentum*. V. II. 1. p. 12 ſq.

morari; ubi Chelonophagi morantur 3, 8, 4.

moratus; morati ad noſtrum ritum 1, 8, 3.

morbus; morbo exſtingui 1, 9, 7. *obpon.* ſorte; ubi morbus inceſſit 3, 7, 3.

mori; mortui arte medicati 1, 9, 6. mortuos limo obliti plan-

gunt Aegyptii *ib.* cum mortuis cremant apta viventibus Galli 3, 2, 3.

mors; Getae ad mortem paratiſſimi 2, 2, 3. mortem in ſolitudine nihil anxii exſpectant 3, 7, 3. arceſſere *ib.* in mortem riſu ſolvi 3, 10, 2.

morſus; morſu atque ambitu corporis adficere (*de ſerpentibus Indiae*) 3, 7, 2. Catoblepas fera nihil unquam morſu ſaevit 3, 9, 9.

mortalis; neque illis (*Atlantibus*) in quiete, qualia ceteris mortalibus, viſere datur 1, 8, 5. diutius (*Scythae*), quam ulli mortalium vivunt 3, 5, 2.

mortifer; oculos eius vidiſſe mortiferum 3, 9, 9.

mos; mores regii 2, 1, 11. molliti 1, 19, 6. inconditi 1, 19, 11. aſperi efferique 3, 9, 5. iuſtiſſimi 1, 19, 20. Tauri immanes ſunt moribus 2, 1, 11. Thraces aliis aliisque praediti moribus 2, 2, 3. moribus datur 2, 2, 4. utrum fiat, ex moribus cauſa eſt *ib.* *poſt* probae; morem ſuum tenere 2, 5, 3. mos eſt bellantibus *ſq. infinitivo* 2, 1, 12. morem eum diu, et donec vitio gentium temeratus eſt, ſervaſſe referuntur (*Scythae*) 3, 5, 2. more Gryphorum 3, 7, 2. more pelagi ſaevientis 3, 2, 5.

mos et *mox.* V. II. 2. p. 59.

motus; motus pelagi 3, 1, 1. alterni pelagi 1, 7, 3. coeli ac siderum 3, 2, 3.

mox; adv. loci, ut mox plura complectitur 1, 17, 2. *et alibi. Sic Plin.* 3, 10. *ſ.* 5. 3, 13. *ſ.* 6. —

mox et *mos.* Vid. antea.

mucro; terra quaſi in mucronem longa colligens latera 2, 1, 5.

multiplex; natio Gaetuli 1, 4, 4. *i. e. vagi et late diſperſi.* V. III. 1. p. 114.

multus; multum prominens Graecia 2, 3, 3. multo aliter a ceteris agunt 1, 9, 6.

multus et *murus.* V. II. 3. p. 341.

munditia; munditiis carens victus 1, 8, 3.

mundus; omne Hoc, — cui Mundi Coelique nomen indidimus 1, 1, 1. *V.* II. 1. *p.* 81. ſi Mundus unum animal eſt 3, 1, 2. Terrae Mundique magnitudo et forma 3, 2, 3.

munia; belli pacisque 1, 12, 1.

munimentum et *monumentum.* V. ſupra.

munus; qui cum munere advenerunt 1, 8, 8.

murex; muricum fragmenta 1, 6, 2. ne litora quidem infecunda, purpura et murice efficaciſſimis ad tingendum 3, 10, 4.

murmur; ingens (*fluvii*) 3, 5, 5.

murus; muri confinio adnexae urbes 1, 17, 3.

mari et *mari*. V. II. 1. p. 531.
Muſa; Muſarum domus parenſque Pieria 2, 3, 2.
muſicus; Timotheus 1, 17, 1.
mutare; nomen 3, 2, 12. mutatae Phari cauſae 2, 7, 6. muturi in lupos (*de Neuris*) 2, 1, 12.
mutare et *invitare*. V. II. 3. p. 109.
mutus; muti populi 3, 9, 4.
muti et *multi*. Vid. ſupra.
myrrha; myrrha incluſa corporis oſſa 3, 8, 10.

N.

n linea ſuper impoſita notatum modo additur, modo negligitur. Exempla obvia.
namque; ſequente vocali poni ſolet, ut 2, 4, 4.
nare; nandi non patientia tantum, ſtudium etiam eſt (*Germanis*) 3, 3, 2.
nares; ſub naribus fiſtula eſt 3, 9, 4.
naſci; paſſim incertique naſcuntur 1, 8, 7. circa (*Rhyndacum fl.*) paſſim angues naſcuntur 1, 19, 3. fruges paſſim naſcentes 3, 9, 4. ut natus eſt Tigris 3, 8, 5. ſicut naſcitur Baetis 3, 1, 5. qualis natus eſt Hypanis 2, 1, 7.
nata, *nota* et *fata*. V. II. 3. p. 373.
natalis; quem natalem eius (*Minervae*) putant 1, 7, 4.
natio; frequens et multiplex Gaetuli 1, 4, 4.
natura; regionum et incolarum *prooem.* 2. ſpecus natura fabulaque memorandus 1, 13, 4. fama, quam natura, maiora flumina 1, 18, 3.
navalis; pugna 1, 14, 1. navali acie decernere 2, 2, 7.
naufragium; naufragium claſſis Atticae 2, 2, 7. *de proelio adverſo.*
navigabilis; Melas, navigabilis fluvius 1, 14, 1. Boryſthenes 2, 1, 6. Garumna vix navigabilis fertur 3, 2, 5. Atax nusquam navigabilis 2, 5, 6. bene navigabilis Nilus 1, 9, 2. mare Caſpium minus navigabile 3, 5, 3. oſtia (*Iſtri*) navigabilia 2, 1, 8. navigabiles alvei fluminum 1, 12, 4. fretum navigabile 2, 2, 10.
navigare; Nilus non ſtatim navigari facilis 1, 9, 2. *Cf.* 1, 14. altior (*Moeris*), quam ad navigandum magnis onuſtisque navibus ſatis eſt 1, 9, 5. navigantes per illa loca 2, 4, 4. navigantium dextra poſiti Carmanii 3, 8, 4. navigata maria 2, 2, 7. *Cf.* III. 2. *p.* 117.
navigationis verba vid. III. 1, p. 117.

navigationis curſus ad ſtadia revocatur. V. III. 2. p. 646.
navigium; navigia patiens Nilus 1, 9, 2. ventis plena fruſtrari 2, 7, 9. tolerare 3, 2, 5.
navis; Moeris lacus altior, quam ad navigandum onuſtis navibus ſatis eſt 1, 9, 5. navibus maria adire 1, 12, 1. Minyae Pagaſa navem ſolvere 2, 3, 6.
navium; arundinum fiſſa internodia, velut navia, binos — vehunt 3, 7, 2.
navia, *navita*, *navis*, *naves*. V. II. 3. p. 223.
ne; ne ea quidem, quae — 2, 7, 21. ne pabula quidem large ferunt 2, 7, 1.
ne-quidem et *nec-quidem*. V. II. 2. p. 473. ubi et de utriusque discrimine monetur.
nebuloſus; Pontus 1, 19, 6.
nec; usquam 1, 4, 1. nusquam late patet, nec usquam mari ſimile 3, 3, 4. nec usquam et non 1, 4, 1.
neceſſe; parentes cum egent, illis (*feminis*) neceſſe eſt alere (*apud Aegyptios*) 1, 9, 6.
nefas; et pro ſacrilegio habent 3, 6, 10.
negotium; negotia feminae, viri penſa ac domos curant (*apud Aegyptios*) 1, 9, 6. ubi negotium exegit 1, 9, 9. negotiorum ratio 3, 2, 3.
nemo; nemo de tam feris gentibus 1, 19, 20.
nemoroſus; laterum orbis 1, 13, 3.
nemus; ſacrum 2, 3, 2. nemora ſecuta Orphea 2, 2, 8. nemora ſunt pro domibus 1, 19, 20.
nequire; nomina, quae ore noſtro concipi nequeunt 3, 1, 10.
neſus in terminatione inſularum, an ſimplici *n* efferendum ſit, ut *Peloponeſus* an *Peloponneſus*, vid. II. 2. p. 119.
neuter; ſeptemtrio 3, 7, 2.
neutra urbium feminina faciunt poſteriores maxime, et hinc in accuſativo praeferunt *am*, uti paſſim adeo Noſter, ut *Pataram* 1, 15, 3. *Megaram* 2, 3, 7. Cf. diſſ. de Mela cap. 6. p. 38.
neutra pluralia adiectivorum cum ſubſtantivis in genitivo, ut *ſaeva hiemis* 2, 1, 10. *intima aedium* 1, 9, 7. Cf. diſſ. de Mela cap. 6. p. 37.
nidor; ex nidore hilaritas contingit 2, 2, 4. *Cf.* III. 2. p. 85.
nihil; anxii 3, 7, 3. nihil ſollicitos alunt 3, 10, 2. fera nihil unquam ſaevit morſu 3, 9, 9. nihil alentes campi 1, 6, 2. Satyris praeter effigiem nihil humani 1, 8, 10. nihil ex ſe amittit (*Nilus*) 1, 9, 4. nihil nobilius ſinu Ambracio 2, 3, 10. nihil non venerabile 1, 13, 3.
niſi; niſi quod 1, 8, 3. 2, 5, 6. 2, 7, 19. 3, 1, 3. 3, 9, 4.

3, 10, 3. nisi quoad 1, 2, 3. nisi qua 2, 2, 1. 2, 6, 2. nisi quorum 3, 3, 3. nisi ubi 2, 5, 6. 3, 1, 9. 3, 5, 1. 3, 7, 5. 3, 8, 4. nisi cum 3, 2, 5. nisi unde 1, 2, 3. Cf. de his formulis III. 1. p. 215.

nisus et *visus*. V. II. 2. p. 9.

nix; cadentes nives invia efficiunt 2, 1, 1. solutae nives 3, 2, 5. solutae magnis aestibus nives ex Aethiopiae iugis defluunt 1, 9, 4.

nives et *hiemes*. Vid. supra *hiems*.

nobilis; fabula 1, 17, 1. pugna 1, 19, 2. lucus fabula 1, 19, 12. Tempe nemore sacro nobilia 2, 3, 2. delubrum Iovis simulacro Phidiae maxime nobile 2, 3, 4. Ennio cive nobiles Rudiae 2, 4, 7. Calauria leto Demosthenis nobilis 2, 7, 10. nihil Ambracio sinu nobilius 2, 3, 10. Pataram nobilem facit delubrum Apollinis 1, 15, 3. nobilissimi gentis 3, 2, 3.

nobilissimi et *validissimi*. V. II. 1. p. 459.

nomen; nomine humili accepto 2, 2, 7. terrae claris locorum nominibus insignes 2, 3, 2. fretum Siculum saevis nominibus inclutum 2, 7, 14. insulae sine certis nominibus 3, 6, 2. non alio adpellari 3, 9, 8. sine propriis nominibus insulae 3, 6, 10. eiusdem nominis insula 3, 2, 8. iisdem urbes 2, 7, 4. arae Augusti nomine sacrae 3, 1, 9. sine nomine insulae 3, 6, 1. sine nomine finus 1, 19, 4. suo nomine nominavit (*urbem*) 2, 2, 9. inde est regioni 2, 3, 4. inde est nomen, quod 1, 11, 3. ex veste nomen 2, 1, 13. ex re nomen est 3, 7, 7. trahere ex 1, 7, 6. 1, 19, 1. aliis aliisque praediti Thraces 2, 2, 3. aliis aliisque dicti Ceraunii montes 1, 19, 13. Syria aliis aliisque nuncupata nominibus 1, 11, 1. dedit urbi 2, 3, 9. insulae dedit Canopus 2, 7, 6. sepulcro insculptum 2, 7, 12. Hispania tribus distincta 2, 6, 3. silvae, quae nomen habent 3, 5, 3. mutare 2, 3, 12. indere 1, 1, 1. 1, 19, 2. fabulam nomini 1, 5, 3. nomen famae adnuit 1, 17, 2. proprie nomen Africae usurpat (*regio*) 1, 7, 1. duplex causa nominis iactatur 1, 18, 2. ore nostro concipi nequeunt 3, 1, 10. uno omnes nomine adpellant 3, 6, 2. capere 1, 9, 2. regio ob id eo nomine adpellata 1, 17, 2. nomina non habent finguli 1, 8, 5. opus, quod constat fere gentium locorumque nominibus *prooem.* 1. portus, cui Magno est cognomen 1, 5, 5. *Cf. de structura* III. 1. *p.* 142. olim urbes, iam tantum nomina 2, 3, 6. *de locis exstinctis, delapsis. V.* III. 2. *p.* 280.

nomen de gloria, fama, ut *sine nomine finus* 1, 19, 4. V. III. 1. p. 563.

nomina hominis, rei pro homine, re ipſa. V. III. 1. p. 80.

nomina cognata uno indicantur. Vid. *cognata.*

nomina regionum, locorum — varia forma efferuntur, ut *Illyris, Boeotia, Pelorias.* Vid. index geographicus.

nomina duplicia locorum, ut *Scamander*, qui idem *Xanthos* — V. III. 1. p. 536. III. 2. p. 33. De mutatis ſucceſſu temporum nominibus ſaepe monetur.

nomina variantur in terminatione, ut *Saguntus, Lampſacum, Teutones, Sindones.* V. II. 2. p. 297. et infra *terminatio* et ſupra *declinatio. Nominum* ſcriptura in libris et numis discrepat. V. III. 2. p. 731. et alibi.

nomina propria, ut gentilia, v. c. *Oceanus.* V. II. 2. p. 413 ſq.

nomina regionum gentes involvunt. V. III. 1. p. 99.

nomina propria mutantur in adpellativa. V. II. 2. p. 436. et alibi, in primis II. 2. p. 165 ſq. II. 3. p. 357.

nomina adpellativa transeunt in propria. V. II. 2. p. 536.

nomina locorum ducuntur a corpore humano, animantibus, et ſimilitudine cum rebus, ut *Pogon, Criumetopon, Ancona* — V. III. 2. p. 387. et Euſtathius ad Homer. Il. 2, 637. p. 233. ed. Baſil.

nomina propria adpellativis adiunguntur in genitivo. Vid. *flumen* et *genitivus.*

nomen et *numen.* V. II. 1. p. 575.

nominare; duo latera, quae hemiſphaeria nominantur 1, 1, 2.

nominare et *nuncupare.* V. II. 1. p. 28.

nominativus; partitionibus praecedit, ut *amnes Munda — et — Darius* 3, 1, 7. pro quo alias genitivus ponitur. Cf. *genitivus.*

nominativus ex genitivo Graeco effingitur, ut *Pogonus* 2, 3, 8. Cf. *genitivus.*

nominativos abſolutos amat Mela, ut 1, 2, 2. *obliqua*, ubi in libris etiam reperitur *obliquat.* V. II. 1. p. 58.

non; non molli circumdatus litore 1, 19, 6. —

non et *nunc.* V. II. 1. p. 254. Sic *etiam nunc* et *etiam non.* V. II. 1. p. 253. et II. 3. p. 294.

noſter; mare *et* maria, *i. e. mediterraneum ſ. internum* 1, 1, 4. 1, 2, 5. 1, 5, 1. 1, 9, 1. 1, 15, 2. 2, 1, 1. et 8. 2, 5, 1. 2, 6, 2. 3. bis et 9. 3, 8, 5. V. II. 1. p. 197. III. 1. p. 45. pelagus 1, 4, 5. fretum, *i. e. Gaditanum* 3, 10, 6. aequora 1, 2, 1. litora 1, 3, 5.

noſcere; non noverunt bella 3, 5, 2.

novere et *movere.* V. II. 3. p. 118.

nota; notis ora artusque pingere 2, 1, 10. corpus omne perſignare

1, 19, 10. cycni vox notam dederat 1, 19, 14. notas abluere 2, 1, 10.
notus; Helene, nota ſtupro Helenae 2, 7, 10. genus (*Seres*) commercio notiſſimum 3, 7, 1. notior nomine Calydon 2, 3, 10.
novare; ſegetem 3, 6, 2.
nove; noviſſime fugat noctem (*de ſole*) 1, 18, 4. noviſſime calcatum Grajo Herculi ſolum 2, 3, 2.
noviſſimus; Africae noviſſimus angulus 3, 10, 5. *i. e. ultimus.*
nox; ſex menſibus nox continua 3, 5, 10. media 1, 8, 1. 4. prima *ib.* procedit *ib.* adſidua 1, 13, 4. usque continua 3, 5, 1. breves 3, 6, 9. obſcurae *ib.* ſepties die ac ſepties nocte 2, 7, 9. fugare noctem (*de ſole*) 1, 18, 4. ubi dies deficit, ibi noctem agunt 1, 8, 4. nocte micant ignes 3, 9, 6.
noxius; fretum noxium adpulſis 2, 7, 14. genus animalium 3, 2, 2.
nubere; nocte, qua nubunt 1, 8, 8. nubunt, verum ut nubiles habeantur, non in aetate modus eſt 1, 19, 7. plures nuptae ſimul ſingulis 2, 2, 4. nupturae virgines *ib.*
nubes; actae in meridiem nubes 1, 9, 4. praecipitant ſuper principia Nili *ib.*
nubila; usque in nubila erigitur Atlas 3, 10, 1.
nubilis; nubiles habentur virgines 1, 19, 17.
nudare; campos, *i. e. reliquere*, de refluxu maris 3, 1, 1.
nudus; capita, *i. e. calva* 1, 19, 20. ſpatia undis 3, 6, 8. *obpon.* operiuntur undis. Nudi agunt 3, 3, 2. 3, 7, 3. nudi ſterilesque campi 1, 19, 19.
numen; templi eſt Iupiter (*i. e. templum Iovi eſt dedicatum*) 1, 19, 5. ſpecus nihil non venerabile et cum numine aliquo oſtentat 1, 13, 3. Gallici numinis oraculum 3, 6, 3. numen populorum 1, 9, 7.
numen locis tribuitur. V. III. 1. p. 421.
numen et *nomen*. Vid. *nomen*.
numerus; numero copias metiri 2, 2, 8.
numerus loocrum ſaepe promiſcuus, ut *Malea* et *Maleae*. V. III. 2. p. 293.
numeri variatio in nominibus. V. II. 1. p. 3. 487.
nunc; nunc — nunc 3, 1, 1.
nunc et *non*. Vid. *non*.
nuncupare; unde ſol oritur, Oriens nuncupatur 1, 1, 1. montes ob numerum ſeptem nuncupantur 1, 5, 5. nuncupari alii aliisque nominibus 1, 11, 1. *Vid. de hoc verbo* III. 1. *p.* 22.
nuncupare et *vocare*. V. II. 1. p. 214.
nuncupare et *nominare*. V. II. 1. p. 28.

nusquam; late patet mare 3, 3, 4. nusquam pauci 1, 8, 4. nusquam non ſpatioſior 2, 7, 19. nusquam non fertiles terrae 2, 1, 14. nusquam lata terra 2, 2, 7. lata Euboea 2, 7, 9. Euphrates nusquam manifeſto exitu effluit 3, 8, 5. nusquam navigabilis Atax niſi — 2, 5, 6.

nutrire; nutritus ibi Iupiter 2, 7, 12. in ſpecu Liber pater 3, 7, 4.

nutus; nutus quibusdam pro eloquio eſt 3, 9, 4.

nympha; Nymphaeum ſpecus, quod in arce Dianae nymphis ſacratum eſt 2, 1, 3.

O.

o et *a* in praepoſitionibus *ob* et *ab*. Vid. *ab*.

o et *e* promiſcue ponuntur in multis adverbiis, ut *adſiduo*, *proximo* — V. II. 2. p. 180 ſq.

o paſſim, ubi Graeci habent *s*. Vid. *e*.

o et *on* in terminationibus, ut *Aſcalon*, *Croton* — *Aſcalo*, *Croto* — V. II. 1. p. 393. 576. III. 2. p. 405.

o et *u* in ſcriptura nominum quorundam variantur, ut *Sogdiani* et *Sugdiani*. Cf. III. 3. pag. 163. *Volturnus* et *Vulturnus*. V. II. 2. p. 352 ſq.

obducere; pleraque arenis ſterilibus obducta 1, 4, 2. oſtia arenis 1, 9, 4. media arenis obducta 3, 10, 1. *i. e. tecta, operta*; Germania litore Oceano obducta 3, 3, 1. *i. e. circumdata*. V. III. 3. p. 81. Lacus aequali margine obductus 1, 19, 16. perpetuo margine directi litoris ab tergore obducta (*de Britannia*) 3, 6, 4. collis longo tractu longis litoribus obductus 3, 9, 6.

obducere et *abducere*. V. II. 1. p. 165. 332. II. 3. p. 167 ſq.

obducere et *adducere*. V. II. 1. p. 332.

obiacere; videntur editiora, quis obiacet Antros (*inſula*) 3, 2, 6. obiacens Abydo Seſtos 2, 2, 7. Graecia Ioniis fluctibus 2, 3, 3. inſulae importunae navigantibus 2, 7, 5. Thracum terris inſulae 2, 7, 10. inſulae Italico lateri obiacent 2, 7, 18.

obiacere et *adiacere*. Vid. *adiacere*.

obiectare; advenas equis mandendos obiectare (*de Diomede*) 2, 2, 9.

obiectus; obiectu frondium frigora arcere 2, 2, 1.

obiicere; Hiſpania Tarraconenſis mari obiicit latera 2, 6, 3. Leuce Boryſthenis oſtio obiecta 2, 7, 2. Luſitania Oceano obiecta eſt 2, 6, 3. mons monti obiectus 1, 5, 3. equis obiicere 2, 2, 9.

obire; obeuntium animae redeunt 2, 2, 3.

oblinere; mortuos limo obliti plangunt (*Aegyptii*) 1, 9, 6.
obliquus; obliqua cervice paſcuntur armenta 1, 8, 7. obliqua pelago adiacens Aſia 1, 12, 4. non obliqua pelago, ſed adverſa Aſia 1, 12, 4. regio 1, 19, 15. plaga 2, 1, 2. iugum 2, 6, 9.
oblongus; Iuverna oblonga aequali litorum tractu 3, 6, 6.
obponere; Thule Bergarum litori obpoſita 3, 6, 9. Europa Aſiae contrariis litoribus obpoſita 1, 3, 1. obpoſita cautium 3, 5, 5.
obpoſita et *adpoſita*. V. II. 1. p. 441. II. 2. p. 5. II. 3. p. 203.
obportunus; obportuniſſimum emporium 1, 19, 4.
obprobrium; inter obprobria vel maximum 2, 1, 12.
obruere; vivos 1, 7, 6.
obſcoenus; obſcoena intimis aedium reddunt Aegyptii 1, 9, 6. obſcoena tantum velati 3, 7, 3.
obſcurus; noctes obſcurae *obp.* lucidae 3, 6, 9. regio ſeguitia gentis 1, 5, 4. urbs 1, 12, 3.
obſidet et *adſidet*. Vid. *adſidere*.
obſiſtere; obſtiterant colles, ne cernerentur 3, 2, 6.
obſtare; obſtat Taurus 3, 8, 5.
obtendere; Africa non totis Europae litoribus obtenditur 1, 4, 1. ora incurvis contra ſe litoribus obtenditur 2, 2, 5. *De locis obpoſitis dicitur*. V. III. 1. p. 103.
obvertere; montes obverſi in pelagus 1, 19, 13.
obviam; pelago ſit Aſia 1, 2, 2.
obvius; obvios fugiunt Gamphaſantes 1, 8, 9. adpetere (*de ſerpentibus*) 2, 7, 22. ubi Garumna obvius Oceani acceſſibus adauctus eſt 3, 2, 5. litus 1, 18, 5. oſtio Nili inſula 2, 7, 6. inſula fretum egreſſis obvia 2, 7, 1.
occaſus; quo demergitur ſol 1, 1, 1. ortus occaſusque Lunae 3, 1, 2.
occidens; 1, 1, 1. occidenti adverſa litora 2, 6, 1.
occidere; nullum animal 3, 7, 3. occiſis detracta coria 3, 9, 5.
occidere; occidit ſol 1, 9, 8. 2, 3, 3. 3, 5, 1. *obpon.* oriri et exoriri.
occupare; Hercynia ſilva iter ſexaginta dierum, *i. e. efficit, de longitudine* 3, 3, 3. India tantum ſpatium litoris occupat 3, 7, 2. Hadriatici litus Illyris occupat 1, 3, 4. Pyramidum maxima quatuor fere ſoli iugera ſua ſede occupat 1, 9, 5. ſuperna litora Padus 2, 4, 4. urbs oram freti 2, 6, 9. Iyrcae vaſtas ſilvas occupant 1, 19, 19. ſuo ſuorumque regno occupaverat (*inſulas*) 2, 7, 4.
occurrere; nihil memorabile occurrit 3, 9, 3.
oceanus et cognata; vid. index Geographicus.
oculus; Arimaſpis ſinguli oculi eſſe dicuntur 2, 1, 2.

odor; Arabia odoribus abundat 1, 10. odorum maxime ferax (*de Arabia*) 3, 8, 6. generat ſilva 3, 8, 7. exaggerata variis odoribus ſtrues 3, 8, 10. *Odores, i. e. odoriferae herbae, aromata.* V. III. 1. p. 326.

oe pro *i*, ubi in Graecis eſt *οι*, ut *Arimaſpoe* 2, 1, 2. *Soloe* 1, 13, 2. et ſimilia. V. II. 2. p. 13. 16. Paſſim etiam codices fluctuantur inter *oe*, *ae* et *i*. Vid. cc. ll.

oe et *ce*. Vid. *ce*.

officere; directa in humum cornua officiunt 1, 8, 7.

officere et *adſicere*. V. II. 1. p. 299.

officium; ultima pietatis 2, 1, 9.

omen; id viſum eſt 2, 3, 12.

omittere; unum de pluribus omiſit (*abiecit*) 3, 5, 7.

omnis; notis corpus omne perſignant 1, 19, 10. Omne Hoc, quidquid eſt 1, 1, 1.

on et *o* promiſcue ſaepe in terminatione nominum propriorum, ut *Aſcalo* 1, 11, 3. *Belo* 2, 6, 9. V. II. 1. p. 393. III. 2. p. 655.

on et *ona*, ut *Ancon* et *Ancona*. V. III. 2. p. 387.

on et *um* in accuſativo, ut *Peloponneſon* 2, 3, 7. *Mallon*, *Tarſum* 1, 13, 1. et alia plura.

onus; onera humeris, capitibus accipere 1, 9, 6.

onuſtus; naves 1, 9, 5.

opacus; opaca ſilvae 1, 13, 3.

ope; vid. *ops*.

opera; operae pretium abſolvere *prooem.* 1. literae et literarum operae 1, 12, 1. *De ſenſu vid.* III. 1. *p.* 366 *ſqq.*

operari; ſacris 3, 5, 2. *V.* III. 3. *p.* 124 *ſq.*

operire; editiora 3, 2, 6. operiri undis 3, 6, 8.

opes; vid. *ops*.

opimus; ſolum 1, 8, 3.

opimus et *optimus*. V. II. 1. p. 289 ſq. III. 1. p. 63.

opinio; varia id perficit 2, 2, 3. capit fidem 2, 2, 10. opinio cauſae fidem cepit 3, 9, 6.

oppidum; parvis habitatur Mauretania 1, 5, 4. parva contingunt ſinum 3, 1, 5. portu ſaloque incinctum 1, 13, 2. anguſto tergore continenti adnexum *ib.* valetudine habitantium infame 1, 16, 1.

ops; ope ingenii orantis, *i. e. oratoris prooem.* 1. ope praeſentium rerum clarior (*de Carthagine*) 1, 7, 2. aliarum opum ignari (*Britanni*) 3, 6, 5. opes et pecunia belli 1, 11, 3. res opesque ſecum trahunt (*Sarmatae*) 3, 4, 2. opes templi 3, 6, 1. marinis opibus dites 3, 7, 5. opes maris et terrarum 1, 12, 4. opes et arma ad rogos deferre 2, 2, 4. iisdem opibus, ſed

minus dives 3, 10, 5. parum venerari 3, 9, 1. aluit tempus 3, 6, 1. clara opibus Corinthos 2, 3, 7. nullarum domini 1, 8, 6.

opibus et *operibus*. V. II. 1. p. 295. II. 3. p. 153.

optimus; optima et gratiſſima victima 3, 2, 3. optimum exiſtimant 3, 7, 3.

optimus et *opimus*. Vid. antea.

opulentus; urbs 1, 7, 2. 3, 6, 1. Sidon 1, 12, 2. opulentiſſima urbs, opulentiſſimae urbes 1, 6, 1. 2, 4, 2. 2, 5, 2. 2, 6, 6. 2, 7, 9. 3, 2, 4. 3, 10, 6.

opus; alterum (*de Romae deſcriptione*) 2, 4, 2. Pſammetichi (*de labyrintho*) 1, 9, 5. Artemiſiae (*de Mauſoleo*) 1, 16, 3. Phidiae (*de Iovis ſimulacro*) 2, 3, 4. operibus eius multa inſignia ſunt 1, 11, 2. opera iacta (*de munimentis, aggere*) 1, 12, 2. terminus operis huius (*de libro*) 3, 10, 6.

ora; de extremitate terrarum, tractu univerſo maritimo. Cf. III. 1. *p.* 62. ora Aſiae 1, 2, 2. Europae 1, 3, 1. Indici maris 1, 2, 3. perpetua (*i. e. recta*) 3, 1, 9. recta 2, 2, 5. oras ad Eurum ſequi 3, 9, 3. ora terrae ſpectantis orientem 3, 7, 1. urbes in ora 1, 19, 1. orae latus 2, 3, 9. oram freti occupat Beſippo 2, 6, 9. ora Baeticae frontis 3, 1, 3. oras ſecant oſtia 1, 9, 9. retrahit ſinus ad 1, 18, 2. oram tenent urbes 2, 3, 9. recedunt orae paullatim 3, 1, 10. *Cf.* 3, 8, 1. oras impellit mare *ib.* Cantabricis litoribus adverſa 3, 2, 7. deflectitur ad 1, 19, 17. extenditur ad 2, 7, 16. dicere oras ſitusque 1, 4, 5. orae et litora *prooem.* 2. *De diſcrimine vid.* III. 1. *p.* 13. *Paſſim in libris ſcribitur* hora. cf. II. 1. p. 285. 364. II. 3. p. 152.

oraculum; Apollinis 1, 17, 1. Delphicum 1, 15, 3. Gallici numinis 3, 6, 3. Hammonis, fidei inclutae 1, 8, 1. oraculi fides 1, 15, 3. manes, ut oracula, conſulunt 1, 8, 8.

orare; orantis (*i. e. oratoris*) ingenium *prooem.* 1. *V.* II. 1. *p.* 8 *ſqq. Alii malunt* ornantis.

oratio; excedit in — 2, 7, 1.

orbis; orbis ſitus *prooem.* 1. alter orbis (*ubi Antichthones*) 1, 9, 4. orbis univerſus mari circumfuſus 3, 5, 8. alium ſuper alios orbem (*circulum*) agunt porticus (*in labyrintho*) 1, 9, 5. nemoroſus laterum orbis (*in ſpecu*) 1, 13, 3. in orbem iacent inſulae (*Cyclades*) 2, 7, 11.

ordo; ſatis perplexus *prooem.* 1. exigit 2, 4, 1. in ordinem expoſiti montes 1, 5, 5. quo dicentur ordine ad promontorium Tauri montis expoſitae inſulae 3, 7, 4. eodem ordine, quo

dicta ſunt, adiacentia oppida 1, 18, 2. ad ordinem facit (*al. pertinet*) 2, 6, 7. tres ex ordine ſinus 1, 16, 2.

ordo Melae in locorum recenſu ſaepe disiectus, vel praeposterus. V. III. 1. p. 60. 93. et alibi.

oriens; aut ortus unde ſol oritur 1, 1, 1.

orientalis; vox ſerioris aevi, pro qua Noſter ponit *Eous*. V. III. 1. p. 54.

origo; originis incertae (*homines*) 1, 16, 1.

oriri; unde ſol oritur 1, 1, 1. 1, 9, 8. qua ſol oritur 2, 3, 3. *Tum de fluminibus, montibus dicitur, ut* Strymon longe ortus 2, 2, 9. unde oritur Euphrates 3, 8, 5. Himera amnis in media Sicilia ortus 2, 7, 17. Boryſthenes ignotis ortus e fontibus 2, 1, 6. Hypanis ex palude 2, 1, 7. hinc (*a Colchide*) orti montes Ceraunii 1, 19, 13. in ea regione piſcis e terra penitus oritur 2, 5, 7. Maſſilia a Phocaeis oriunda 2, 5, 3.

oriri et *orui*. Vid. *orui*.

ornare; ornantis ingenii ope, *uti quidam volunt pro* orantis *prooem.* 1. V. II. 1. p. 8 ſqq.

ortus; unde ſol oritur, Oriens nuncupatur, aut Ortus 1, 1, 1. Caſius mons ex ſummo vertice a quarta vigilia ortum ſolis oſtendit 1, 10. ortus occaſusque lunae 3, 1, 2.

os; etiam ora veſtiti 2, 1, 10. ore in terram converſa (*ſera*) 3, 9, 9. ore anguſto (*de ſpecus aditu, introitu*) 1, 13, 4. *Sic de aliis*; v. c. (*mare internum*) magnae paludi exiguo ore coniungitur 1, 1, 4. mare in ore Ionium dicitur 1, 3, 3. in ipſo ore (*Maeotidis*) eſt urbs Cimmerium 1, 19, 15. in ore Thracii Bospori templum eſt 1, 19, 5. ſinus magno ore pelagus accipiens 2, 6, 6. ſinus ore anguſto mare admittit 3, 1, 9. mare Caſpium contra os ipſum in Hyrcanum ſinum diffunditur 3, 5, 3. Arabici ſinus os artius 3, 8, 3. *De fonte fluminis, ut* Euphrates immani ore aperto 3, 8, 5. Cf. III. 3. p. 324. *De exitu fluminum, ut* Nilus in ſeptem ora ſe ſcindens evolvitur 1, 9, 2. Oxos inter Amardos et Paeſicas aperit 3, 5, 6. Himero alio ore in Libycum, alio in Tuſcum mare devenit 2, 7, 17. *Pro lingua, ut* quorum nomina vix eſt eloqui ore Romano 3, 3, 3. quorum nomina noſtro ore concipi nequeunt 3, 1, 10. a barbaro ore corruptus (*Nuchul*) 3, 9, 8.

os et *us* in terminatione nominum variantur, ut *Cypros* et *Cyprus*. V. II. 1. p. 615. II. 2. p. 488.

os; oſſa Proteſilai delubro conſecrata 2, 2, 7. Herculis in templo fita 3, 6, 1. piſcibus nulla oſſa ſunt 2, 1, 6. *pro qua poſuit* ſpinae 1, 6, 2. V. III. 2. p. 31. Marinae belluae 1, 11, 5. ignes oſſibus alere 2, 1, 14.

oſtendere; mons Caſius oſtendit ortum ſolis a quarta vigilia 1, 10. Haemos Euxinum et Hadriam ex ſummo vertice 2, 2, 3. frons, quae inter oſtia oſtenditur 3, 8, 6. amnis tantummodo ſe oſtendit 1, 13, 3.

oſtendere et *oſtentare*. V. II. 1. p. 380.

oſtentare; Corycius ſpecus nihil non memorabile oſtentat 1, 13, 4. oſſa immania oſtentant ſignum ſervatae Andromedae 1, 13, 3. Ida orientem ſolem aliter oſtentat 1, 18, 4. ſol ſui partem maximam oſtentat 3, 6, 9.

oſtentare et *oſtendere*. Vid. antea.

oſtium; Oceani 3, 9, 3. pelagi 3, 8, 5. Nili 1, 9, 9. Tanais 1, 19, 1. Iſtri 2, 7, 2. Tiberina 2, 7, 18. duobus exit Indus 3, 7, 6. uno effluunt Gerrhos et Hypacaris 2, 1, 4. Timavus uno emiſſus 2, 4, 3. per ſeptem ſe effundit Padus 2, 4, 4. Eteſiae arenis oſtia Nili obducunt 1, 9, 4. Perſicus ſinus, qua mare accipit, grande oſtium quaſi cervice complectitur (*de aditu per nexum*) 3, 8, 2. In MSStis legitur ſaepe *hoſtium*, de quo cf. II. 1. p. 332. 524. et alibi paſſim.

oſtrea; oſtrearum fragmenta 1, 6, 2. *alii* oſtreorum. V. II. 1. p. 244.

otium; feſto otio laeti 3, 5, 2.

ovum; ovis avium paluſtrium ali 3, 6, 8.

P.

p et *per*, prout vel ſimpliciter ſcribitur *p*, vel transverſa linea, quod ex compendio eſt *per*, uti *coepit* et *coeperit*, *opum* et *operum*. Cf. II. 1. p. 198. 295. II. 3. p. 153.

p et *r*. V. II. 2. p. 125.

p et *t*. V. II. 2. p. 47. 219.

pabulum; pabula laetiſſima 2, 1, 6. terrae ad pabula fertiles 2, 1, 14. pabulo fecundi campi 1, 19, 19. ferax terra 3, 2, 2. ferunt inſulae 2, 7, 1. Nomades pecorum pabula ſequuntur 2, 1, 11. ut invitavere pabula 3, 4, 2. ut a pabulo ducta ſunt (*pecora*) 1, 8, 4. niſi pabulo prohibeantur pecora 3, 6, 6.

pacare; pacatae gentes (*obpon.* aſperae) 2, 5, 3.

paciſci; fauciant ſe, qui paciſcuntur 2, 1, 12. cum fato iacentis (*mortui*) vel paciſci, vel decernere 2, 2, 4. pacti de integro 1, 7, 6. *de una parte, qui per pactionem aliquid promittit.* V. II. 1. p. 273.

paene; paene inſula *ſaepe*. V. II. 1. p. 509. 563. paene inſulam reddere 2, 1, 4. *Paſſim diviſe* paeninſula, *de quo* II. 1. *p.* 509. 563. ſepulti Iovis paene clarum veſtigium ſepulcrum eſt 2, 7, 12. — *De ſcriptura per ae vid.* II. 1. *p.* 165 *ſq.*

paene et *bene*. Vid. *bene*.
palam; et promiſce concumbere 1, 19, 10.
palus; paludes Germaniae 3, 3, 3. concretae 3, 8, 9. palus *abſolute de Maeotide ponitur*, *ut* 1, 19, 15. 2, 1, 3. *Paludum* an *paludium*, vid. II. 3. p. 300 ſq.
paluſter; aves paluſtres 3, 6, 8.
papyrum; alit Nuchul 3, 9, 8.
par; paria anni tempora agere 1, 1, 2. urbes pares ad famam 2, 3, 1. Syrtis nomine atque ingenio par priori 1, 7, 5. Iuverna paene par ſpatio (*Britanniae*) 3, 6, 6. Sardinia par (*Corſicae*) et quadrata undique 2, 7, 19. promontorium (Κριοῦ μέτωπον) Carambico par et adverſum 2, 1, 3. par freto 3, 3, 4.
parare; Diis parata exiſtimant 3, 6, 10. paratiſſimi ad mortem 2, 2, 3.
parcere; gregibus parcitur (*de mactatu*) 1, 8, 3.
parens; Muſarum parens domusque Pieria 2, 3, 2. funera parentum 2, 1, 9. parentes velut hoſtias caedunt Indorum quidam 3, 7, 3. parentes alere 1, 9, 6. *Parens* de auctore, origine rei, Vid. III. 2. p. 37. 174.
parentum et *parentium*. V. II. 1. p. 50. et in primis II. 1. p. 299 ſq.
pariter; zonae habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter 1, 1, 2. ubi pelagus ex medio pariter effuſum eſt 3, 1, 1. *i. e. uno eodemque tempore.*
parma; elephantino tergori exſecta 1, 5, 2. geſtata *ib.*
pars; in tres partes dividitur terra 1, 1, 6. partibus differt mundus (*de regionibus coeli*) 1, 1, 1. primae partes (*ex Oceano in mare internum pergentibus*) 1, 5, 1. animalia ex parte iam formata, ex parte adhuc terrena 1, 9, 3. magna ex parte 3, 3, 3. pars nudi agunt, pars tantum obſcoena velati 3, 7, 3. *Sic cum plurali* pars — agunt — dicti 3, 9, 1. hominum pars ſilvas frequentant 3, 10, 6.
participiorum tempora variantur, ut *iaculantes* et *iaculatas*. V. II. 2. p. 477. et ſic alia.
particulae nectendi ſaepe negliguntur. Vid. diſſert. de Mela cap. 6. p. 47.
partus; phoenix non partu generatur 3, 8, 10.
parvus; coloniae 2, 2, 10. tumulus 1, 13, 2. fons 2, 1, 7. 2, 4, 4. oppida, flumina 2, 6, 5. ne minima quidem urbs 1, 13, 1. parvi humilesque (*homines*) *obp.* procceri et corpore ingentes 3, 7, 3.
parvus et *purus*. V. II. 2. p. 43.

paſcere; armenta obliqua cervice paſcuntur 1, 8, 7. pecora diutius paſta diſſiliunt 3, 6, 6.

paſſim; i. e. ſine ordine; quae paſſim adpoſita ſunt, ſubinde divinitus innaſcuntur 3, 9, 2. *Cf. de ſenſu vocis* III. 3. *p.* 385. in familias paſſim diſperſi 1, 8, 4. paſſim incertique naſcuntur 1, 8, 7. adeo multi (*lapides*) paſſim et late iacent 2, 5, 4. paſſim interfluentibus aquis 3, 3, 4. paſſim vagari 3, 10, 4.

paſſim et *peſſum*. V. II. 3. p. 321.

paſſivum et *activum*, ut *nominantur* et *nominant* — V. II. 1. p. 28. 261. Et ſic ſaepe terminatio paſſivi modo obtruditur activis, modo demitur paſſivis.

paſſiva cum dativis. Vid. *dativus*.

paſſus; centum milia paſſuum 1, 7, 3. *Et ſic alibi. Saepe etiam* paſſuum *deeſt, ut* quinque milium ſpatio 2, 1, 4. *ubi tamen quidam addunt;* duum milium ſpatium habet 2, 7, 9. *V.* II. 2. *p.* 27. 513. Cf. etiam *milia*.

paſtor; Roma a paſtoribus condita 2, 4, 2.

patere; minus mile paſſibus patent ſinus fauces 2, 3, 10. Syrtis centum fere milia paſſuum patens 1, 7, 3. Moeris viginti milia paſſuum in circuitum (*al.* — tu) patens 1, 9, 5. *Cf.* 1, 1, 4. 2, 3, 3. 3, 7, 6. late patens inſula 1, 9, 2. regio in latum patens 1, 19, 15. terrae late patent 2, 1, 14. ubi laxius patet Pallene 2, 2, 11. mare in latitudinem patet 2, 3, 11. patens ſolum 2, 2, 11. campi 3, 9, 6. ſpecus grandi hiatu patens 1, 13, 3. mons, quantum patet, ſpecus 2, 6, 8. Arados, quantum patet, tota oppidum 2, 7, 6. feminae omnium ſtupro patent 1, 8, 8.

pater; Liber pater 2, 2, 2. 3, 7, 4. *Pater, mater, parens de originibus fluviorum — V.* III. 2. *p.* 37.

paternus et *patrius*. V. II. 1. p. 286.

pati; navigia patiens Nilus 1, 9, 2. eorum, quae feruntur, maligne patiens Thracia 2, 2, 1. aliorum aut congreſſus, aut colloquia Gamphaſantes non patiuntur 1, 8, 9.

patientia; nandi 3, 3, 2.

patrius; patrio more 1, 8, 3. patrii Dii *ib. De ſenſu vid.* III. 1. *p.* 216.

patulus; Euphrates ſine alveo patulus 3, 8, 5. aures ad ambiendum corpus 3, 6, 8.

paucus; de Italia pauca dicentur 2, 4, 1.

paullatim; Africa ex ſpatio paullatim adductior 1, 4, 1. Hiſpania paullatim ſe in Noſtrum mare extendit 2, 6, 1. promontorium paullatim ſe ac ſua latera faſtigat 3, 1, 6. orae paullatim recedunt 3, 1, 10.

paullulum; frons paullulum eminet 3, 1, 7. ora Baeticae frontis ſemel iterumque in ſemet abducitur 3, 1, 3.

pavor; cum pavore aliquid fugere 2, 7, 22.

pax; pacis artes 1, 7, 1.

pectus; pectus (*feminarum*) fit virile 3, 4, 2.

pecunia; huc belli opes et pecuniam intulerat 1, 11, 3.

pecus, oris; pecora vagi ſequuntur 1, 8, 4. pecore ali 3, 10, 3. pecora in Iuverna inſula diutius paſta diſſiliunt 3, 6, 6.

pecoris et *pecudis*. V. II. 1. p. 352.

pecus, udis; coitu pecudis 1, 9, 7. *de bobus;* cf. II. 1. p. 352. beſtiarum pecudumque pelles 1, 8, 3.

pecudis et *pecoris*. Vid. antea.

pedes; pedes maria transgreſſus eſt exercitus *obp.* navibus 2, 2, 7. equitatu, aut pedite dimicare 3, 6, 5.

pelagus; ingens infinitumque (*de Oceano*) 3, 1, 1. ſaeviens 3, 2, 5. pervium 2, 7, 15. (*de freto Siculo*) diviſae ſpatio pelagoque terrae (*ſpatioſo pelago*) 2, 2, 7. incingi undique pelago (*de Hiſpania*) 2, 6, 2. ſe in terras inſinuat 2, 6, 6. aperit (*ſe*) anguſtiſſimum pelagus 2, 6, 8. effuſum ad ea loca pelagus 1, 6, 2. ſinus magno ore pelagus accipiens 2, 6, 6. ſinus, qui anguſtis faucibus grande pelagus admittit 2, 3, 10. ora Aſiae cum alveo Nili amnis ripis deſcendit in pelagus 1, 2, 2. (*de mari interno;*) terra fronte, latere pelago adiacens 2, 3, 7. Euphrates in pelagus non perdurat 3, 8, 5. Ionium, Tuſcum 2, 7, 14. *Nempe quale intelligi debeat, ex nexu adparet.*

pellere; pelli ſe atque adtrahi patitur 3, 6, 7.

pellis; fabula vetus pellis aureae 1, 19, 12. pellibus beſtiarum pecudumque velari 1, 8, 3. pellibus avium ferarumque veſtiri 3, 7, 3.

pendere; pendentibus aquis 3, 5, 5. lucis 1, 13, 3. *ubi alii* pubentibus; pendet inſula 3, 2, 6.

pendere et *pubere*. V. II. 1. p. 443.

pene. Vid. ſupra *paene*.

penetralis; mortuos arte medicatos intra penetralia collocant (*Aegyptii*) 1, 9, 6.

penetrare; quo magis penetrat ſinus Arabicus 3, 8, 3. *al.* penetratur; *perperam.* quo magis penetratur, anguſtior, (*ſinus Sucronenſis*) 2, 6, 6. *hic quidem ſic recte.* V. II. 3. p. 262. Qua penetrat, (*mare*) vaſtius patet 2, 3, 11. ubi ſubter maria caeco alveo penetraverit Nilus 1, 9, 4. Alpes usque in Thraciam penetrant 2, 4, 10. piſcis, ubi ex alto (*mari*) huc penetravit 2, 5, 7.

penitus; auſos ducit ſpecus 1, 13, 3. aurum terra penitus ege-

ſtum 2, 1, 1. *Cf.* 3, 7, 2. piſcis e terra penitus oritur 2, 5, 7. Aegyptus penitus immiſſa, donec 1, 9, 1. Thracia in Illyrios penitus immiſſa 2, 2, 1. ſinus Arabicus penitus introrſusque init 3, 8, 3. peſſum et penitus lacus folia accipit 3, 9, 2.

penna; pennas, quaſi tela iaculatae, aves 2, 7, 2.

pennae et *pinnae*. V. II. 2. p. 477.

penſum; puellaria penſa 3, 4, 3. viri (*Aegyptiorum*) penſa ac domos curant *obp.* forum ac negotia 1, 9, 6.

penuria; aquarum 2, 6, 2.

per; Cyrus et Cambyſes per Iberas et Hyrcanos defluunt 3, 5, 6. per Tarſum exit Cydnus 1, 13, 1. per meridiem 1, 8, 1. per hiemem 3, 6, 9. per id tempus, per ſolſtitium *ib.* quantum per quadraginta dies noctesque velificantibus curſus eſt 3, 7, 2. terra per ſe fertilis (*ſponte*) 3, 5, 2. per imprudentiam interimere 1, 9, 7.

per in compoſitis amat Mela. Cf. III. 1. p. 128. et diſſert. de Mela cap. 6. p. 34.

p et *per*. Vid. ſupra *p*.

per et *pro* ſaepe in compoſitis. Vid. *pervehere*, *perſpicere* — et alia deinceps, item II. 1. p. 4. 173 ſq.

peragere; commercium peragere 3, 7, 1.

peragrare; peragratis omnibus, quae mare adtingunt 1, 4, 5.

perceleber; templum 2, 3, 4. *Vox rarior.*

percutere; hoſtem (*antea* ferire) 3, 4, 3.

perdurare; Euphrates non perdurat in pelagus 3, 8, 5.

pererrare; Nilus pererrat Aegyptum 1, 9, 3.

perfecundus; terra (*Aegyptus*) hominum perfecunda generatrix 1, 9, 1. *Vocabulum ex Mela tantum notatum.*

perferre; ſe vivos obrui pertulerunt 1, 7, 6. coria occiſis detracta pertulit 3, 9, 5.

perfervere; cum eſt media nox, perfervet (*fons*) 1, 8, 1. *Vox aliis ignota.*

perficere; nondum perfecta animalia 1, 9, 3. perficit id varia opinio 2, 2, 3.

perfluere; fretum maris Siculi modo in Tuſcum, modo in Ionium pelagus perfluit 2, 7, 14.

perfodere; perfoſſus Athos 2, 2, 10. perfoſſa ad imum 2, 5, 7.

perfundere; perfuſa (*lacu*) corpora, quaſi uncta, pernitent 3, 9, 2.

pergere; Africa pergit incurva ad occaſum 1, 4, 1. Aſia altero cornu pergit (*extenditur*) ad Nilum 1, 2, 1. in Noſtrum mare pergentes 1, 5, 1. *i. e. progredientes.*

perhibere; nos Tuſcum (*mare*), Graji Tyrrhenum perhibent,

i. e. adpellant; maiores minoresque (*inſulae*) perhibentur, cognominibus ex ſpatio acceptis 2, 7, 20.

periphraſis; v. c. qui habitant 3, 3, 4.

permeare; amnes in Noſtrum mare permeantes 1, 9, 1. Tigris usque in litora permeat 3, 8, 5.

permiſcere; ſanguinem exemtum 2, 1, 12.

permittere; Gallia huc usque permiſſa 1, 3, 5. regio permittitur ad — 1, 19, 20. Gallia Narbonenſis ad Pyrenaeum usque 2, 5, 1. *i. e. porrigitur, extenditur.*

permittere et *promittere*. V. II. 1. p. 173 ſq. II. 2. p. 369.

permutare; ac miſcere facili commercio opes 1, 12, 4.

pernicies; cum ſumma pernicie adtingentium 3, 7, 2. ſine pernicie et rata eſt Ebuſos 2, 7, 22.

perniciter; et alte ferri (*de avium volatu*) 1, 19, 3.

pernitere; perfuſa corpora lacu, quaſi uncta, pernitent 3, 9, 2.

pernix; Araxes pernix *obpon.* placidus et ſilens 3, 5, 3. pernix ferarum genus (*de tigribus*) 3, 5, 7.

pernobilis; Abydos Leandri amore pernobilis 2, 2, 7. *Scheller in Lex. L. ex ſolo Cicerone notavit.*

pernotus; Marathon Perſica maxime clade pernotus 2, 3, 6.

pernoxius; Moſyni pernoxii adpulſis 1, 19, 10. *Alibi non legitur.*

perpaullatim pro *paullatim* legitur in MSStis quibusdam 1, 8, 1. V. II. 1. p. 278 ſq.

perpetuus; i. e. non interruptus, ſpatiis interpoſitis discretus. Cf. III. 1. p. 135. v. c. perpetua frons 1, 2, 1. iugum 1, 5, 3. 1, 15, 2. 2, 4, 1. parietis ambitus 1, 9, 5. Pyrenaeus perpetua latera trahit continuus 2, 6, 4. ora 3, 1, 9. margo directi litoris 3, 6, 4. perpetuo igne flagrare 2, 4, 18. 3, 9, 6. ubi hiemes ſedent 3, 5, 1. phoenix ubi quingentorum annorum aevo perpetuo duravit 3, 8, 10. virginitas 3, 6, 3. iguis 2, 7, 18. *de Aetna, antea* adſidui ignes.

perplexus; ordo *prooem.* 1. error (*de labyrintho*) 2, 9, 5.

perpotare; binis poculis 2, 1, 12.

perſaevus; flumina 2, 5, 8. *Vox rara.*

perſequi; ordinem *prooem.* 1.

perſequi et *proſequi*. V. II. 1. p. 4.

perſignare; corpus notis 1, 19, 10.

perſpicere; campos 3, 9, 6. perſpici facilis 1, 13, 4.

perſpicere et *proſpicere*. V. II. 3. p. 344.

perſpicuus; ſpecus 1, 13, 3. *obp.* obſcurus; ex loco ſuperiore perſpicua ſunt 3, 2, 6.

perſtringere; oras 3, 6, 1.

pertinax; pertinax aemula imperii Romani Carthago 1, 7, 2. ferarum genus 2, 1, 1.
pertinax et *pertinet*. V. II. 1. p. 268.
pertinere; *i. e. extendi*, *pertingere*. Arabia hinc (*a Pelusio*) ad Rubrum mare pertinet 1, 10. Thracia in maris Aegaei partem 1, 3, 4. huc pertinent 2, 1, 1. hucusque 2, 4, 8. a — ad 1, 7, 5. 3, 2, 7. 3, 7, 1. inde — ad 3, 2, 4. 3, 7, 8. *Vulgo, minus Latine*, pertingere. *Cf. de vi vocis geographica* III. 1. p. 196. ad ordinem pertinet 2, 6, 7. *al.* facit. V. II. 2. p. 443.
pertingere; *minus Latine dicitur, ubi pro* pertinere *ſenſu geographico*. V. III. 1. p. 99. 196.
pervehere; Eudoxus per hoc pelagus pervectus eſt 3, 9, 3.
pervectus et *provectus*. V. II. 3. p. 341.
pervenire; Cyrus et Cambyſes (*fl.*) in Hyrcanum ſinum uno ore perveniunt 3, 5, 6. donec Pyrenaeus in ea litora perveniat 2, 6, 1. ubi ad ima perventum eſt 1, 13, 3.
perverſe; ſuis literis perverſe utuntur (*Aegyptii*) 1, 9, 6. *i. e. dum ſcribunt a dextra ad ſiniſtram.*
pervetus; oppidum 1, 5, 2.
perviridis; campus 2, 5, 7. *Vox rarior et a Mela primum uſurpata.*
pervius; pelagus 2, 7, 15. regio fluminum alveis 1, 12, 4. ſpecus ad manes 1, 19, 7. pervius factus Athos 2, 2, 10. mons fere totus pervius 2, 6, 8.
pes; manibus pedibusque ſubigere carnem 3, 3, 2. viri pedibus merent 1, 19, 17. lapides tricenum pedum 1, 9, 5.
peſſum; lacus ſolia peſſum et penitus accipit *obp.* non innatantia fert 3, 9, 2.
peſſum et *paſſim*. Vid. ſupra.
peſtifer; agris ſol 1, 8, 5.
peſtilens; Sardinia 2, 7, 19.
peſtis; maximae, aurum et argentum 2, 1, 10.
petere; armis Aegyptum 1, 11, 3. Colchos 1, 19, 2. Colchida 2, 3, 6. per ea loca Syriam petens 2, 7, 15. Euphrates per Armenios et Cappadocas occidentem petit 3, 8, 5.
phoenix; vid. 3, 8, 10.
phyſicus; Anaximander 1, 17, 1. praeter phyſicos 3, 5, 8.
pietas; pietatis ultima officia 2, 1, 9. pietatis expertes 3, 6, 6.
piger; Euphrates ſedentibus aquis 3, 8, 5.
pigere; quos commemorare non piget 1, 5, 5. *alias* pigeat. V. II. 1. p. 213. Sic auctores, quos ſequi non pigeat 3, 6, 8.
pignus; manſurae fidei certiſſimum 2, 1, 12.
pingere; ora artusque (*de Agathyrſis*) 2, 1, 10.

pinguis; et ferax ſolum 3, 7, 2.
pinnae et *pennae*. Vid. ſupra.
pirata; piratis adſignare urbem 1, 13, 2.
piſcis; e terra oritur 2, 5, 7. Indos quosdam tantum piſces alunt 3, 7, 3. Boryſthenes magnos piſces alit 2, 1, 6. piſcibus ſcatet Nilus 1, 9, 3. caro magnorum piſcium 2, 7, 1. piſcium cute ſe velant 3, 8, 4. piſcium oſſa 2, 1, 6.
piſtrix; vid. III. 1. p 262.
placere; ut doctioribus placet 3, 1, 2.
placidus; placidior Nilus 1, 9, 2. Boryſthenes placidior, quam ceteri 2, 1, 6. Araxes, quoad campos Armeniae ſecat, labitur placidus 3, 5, 5.
plaga; obliqua excurrit ad 2, 1, 2. expoſita eſt auſtro 2, 5, 3. plaga inter utrumque pelagus excurrit 3, 8, 6. *De terra, ut* zona *de coelo*. V. III. 1. p. 35.
planctus; planctibus acerbiſſimis efferre mortuum 2, 2, 4.
plangere; mortuos 1, 9, 6.
planus; de Britannia 3, 6, 4. de Arabia 1, 10.
platanus; Peloponneſos platani folio ſimillima 2, 3, 4.
plauſtrum; plauſtra habent pro ſedibus Hamaxobioe 2, 1, 2.
plenus; genus iuſtitiae plenum 3, 7, 1. plena ventis navigia 2, 7, 9. aliquantum plenior Garumna 2, 1, 5.
pleonaſmus; *rurſus* in compoſitis cum *re*. V. II. 3. p. 304. *Cf. ſynonyma*.
pluere; credas pluiſſe (*lapidibus*) 2, 5, 4. An *pluviſſe*? vid. II. 2. p. 391.
plumbum; abundat Hiſpania 2, 6, 2. Caſſiterides 3, 6, 2.
pluralis; pro ſingulari. Vid. *ripae*, II. 1. p. 54 ſq. 153. tepores II. 1. p. 280.
pluralis verbi cum ſubſtantivo in ſingulari, v. c. *gens* 3, 4, 1. 2. *genus* 1, 16, 1. *pars*. V. ſuo loco et III. 1. p. 109.
pluralis et *ſingularis*, ut *ſeptemtrio* et *ſeptemtriones* II. 2. p. 151 ſq.
plurimus; religio 1, 11, 3. fera plurimum in terram converſa 3, 9, 9.
plus; plus iugeris ſpatio ſublimis 3, 5, 5.
poculum; capita pro poculis gerere 2, 1, 9. binis perpotare 2, 1, 12. pocula capitibus expoſire *ib.*
posticae formae; vid. diſſert. de Mela cap. 6. p. 46. et ſupra *forma*.
pollis; caro in pollinem usque contuſa 2, 7, 1.
pollinem et *pulverem*. V. II. 2. p. 473.
pomifer; arbor 2, 2, 1.

ponere; *de urbibus*, *ut* 1, 16, 2. 1, 19, 8. 2, 2, 11. 2, 5, 3. *Cf.* III. 1. *p.* 591. III. 2. *p.* 155. ſedem ponere ſuper aliena tecta licet (*in Arado inſula*) 2, 7, 6. facie poſiti enſis 2, 1, 5. Carmanii in ipſo ſinu Perſico poſiti 3, 8, 4.

pons; pontibus iungere terras pelago diviſas 2, 2, 7. ponte coniungitur Alexandriae Pharos 2, 7, 6.

pontus; vid. index geographicus.

pontus et *portus*. V. II. 3. p. 38.

populuris; 1, 7, 6.

populus; una gens, aliquot populi 1, 19, 19. immanes 2, 4, 10.

populi et *regiones* coniunguntur in eodem nexu, ut *Pyraei*, *et Liburni*, *et Iſtria* 2, 3, 12. *Campania et Brattii* 2, 4, 2. Et ſic alibi. Cf. II. 2. p. 273.

populi et eorum *regio* commutantur. V. II. 2. p. 273.

porrigere; Cypros recto iugo inter Ciliciam Syriamque porrigitur 2, 7, 5. ab ortu porrecta in occaſum (*altera terrae pars*) 2, 1, 3. *alias* proiecta. V. II. 3. p. 166 ſq. III. 1. p. 37. ut pelagus incedit, ita (*Aſia*) ſua litora porrigit 1, 2, 2. Germani ad Sarmatas porriguntur 1, 3, 5.

portare; fidem propriarum rerum triumpho declaraturus portat 3, 6, 4.

porticus; viae ſaepe revocatis porticibus ancipites 1, 9, 5.

portio; terris aequa portione cedentibus 3, 8, 2.

portuoſus; ſinus, *obpon.* importuoſus 2, 1, 3.

portus; oppidum portu ſaloque incingitur 1, 13, 2. portum admittit Arabia 1, 10. ſine portubus mare 3, 5, 3. portus Hannibalis 3, 1, 6. magnus 1, 5, 5. Veneris 2, 5, 8.

portus et *pontus*. Vid. *pontus*.

portubus et *portibus* in plurali. V. II. 3. p. 122.

poſſe; videri poteſt 2, 7, 6. 3, 9, 8. *pro videtur*. *Similia pleonaſmi huius exempla in indice adſert Kappius ex Caeſ.* 3, 21, 9. *Virgilio Aen.* 7, 308. 309. *Ovid. Triſt.* 3, 2, 2. *Tacito in Agric. c.* 13. *Valer. Max.* 3, 3. *init. Lactant.* 1, 3, 3. 2, 16, 18. 5, 1, 28. Nilus iterum ſe, ubi ad Eoa poteſt, oſtendit 3, 9, 8.

poſſidere; urbem 1, 13, 2. 1, 14. ripas 1, 19, 19. proxima mari 1, 2, 6.

poſt; adverbialiter ponitur, ut 1, 4, 4. ubi male omiſſum inciſum minus, quod ſubiungi debet. V. II. 1. p. 189.

poſterus; poſteris tradere 2, 5, 7.

poſtremus; ad poſtremum 2, 4, 4.

potare; Boryſthenes potari pulcherrimus 2, 1, 6.

potiri; Amazones Aſia potitae 1, 17, 2.

potiſſimum; conſulentes, in quasnam terras potiſſimum tenderent 1, 19, 1. cui potiſſimum pareant, legere 3, 9, 1.

potius et *magis* ante *quam*. V. II. 3. p. 366.

potius ante *quam* deeſt. V. II. 3. p. 366. ubi adde Iuſtin. 6, 1, 5.

potus; potus eſt lac et ſuccus baccarum 1, 8, 3.

prae et *per*. V. II. 2. p. 115.

prae et *pro* in compoſitis, ut *praegreſſum* et *progreſſum*. V. II. 3. p. 139. Staveren. ad Nepot. Hannib. 9, 2. Eumen. 10, 4. et quos laudat.

prae in compoſitis ſaepe valet *praeter*. V. II. 2. p. 115. et, quae hic ſubiiciuntur, verba.

praealtus; mons 1, 5, 3.

praebere; luna cauſas tantis meatibus (*maris*) praebet 3, 1, 2. Nilum in tantum mutatae cauſas praebuit — praecipue cum exundaret 2, 7, 6. de volucribus praecipue referenda phoenix 3, 8, 10. *antea* §. 9. de ſerpentibus memorandi maxime.

praeceps; praecipites ſe dant ex rupe 3, 5, 2. unde 3, 2, 5. ex lacu praecipiti impetu egreſſus Nilus 1, 9, 2. praeceps ruit Tanais 1, 19, 18. Atlas inciſis rupibus praeceps 3, 10, 1.

praecidere; vaſtis montibus omnia praeciſa 3, 9, 3.

praecipere; ex his, quae praecipiunt (*Druides*, *ut doctores*) 3, 2, 3.

praecipitare; Catarrhactes, quia ſe praecipitat, ita dictus 1, 14.

praecipuus; praecipui montium 2, 7, 17. honos 2, 1, 12. famam habere 3, 7, 4.

praedicare; futura 3, 6, 3.

praedicare et *praedicere*. V. II. 3. p. 163.

praeditus; aliis aliisque praediti nominibus (*Thraces*) 2, 2, 3. ingeniis ſingularibus 3, 6, 3.

praeeſſe; cum Galliae pro conſule praeeſſet 3, 5, 8.

praegnantia verba, quae duplicem motum indicant. V. II. 3. p. 272.

praegrandis; flumina 3, 6, 5.

praegrandis et *praegravis*. V. II. 3. p. 358.

praegravis; caput 3, 9, 9.

praegredi et *progredi*. V. II. 3. p. 139.

praenavigare; ad Sunium tendentibus illa praenaviganda, *i. e. praeternaviganda* 2, 3, 6.

praepoſitio darius abeſt. V. II. 2. p. 292. II. 3. p. 156.

praepoſitiones in notando diverſo motu, ut *averti ad*. V. III. 3. p. 330.

praeſens; venenum (*quod ſtatim enecat*) 3, 8, 9.

praeſens et *perfectum*. V. II. 1. p. 471. et alibi.

praeſtare; ut quique maioribus praeſtant 2, 1, 10.
praeter; praeter id, quod ſcatet piſcibus Nilus 1, 9, 3. *Quidam codices omittunt* id. V. II. 1. p. 327.
praeter et *propter*. V. II. 1. p. 511.
praeter quod et *praeterquam quod*. V. II. 3. p. 201.
praeterfluere; Pyramus Mallon praeterfluit 1, 13, 1.
praeterire; praeterit fluvius 2, 4, 6. earum, (*inſularum*) quas praeterire non libeat, Gades 3, 6, 1.
praeterquam; praeterquam quod fabulis traditur 3, 6, 8. praeterquam ubi 2, 7, 10.
praeterquam quod et *praeter quod*. V. II. 3. p. 201.
praetervehi; promontorium praetervectos ſinus excipit 1, 18, 2. promontorium praetervectos alter Ponti angulus accipit 2, 2, 5.
praetervecti et *praevecti*. V. II. 2. p. 114 ſq.
praevehi; praevecti Maſtuſiam 2, 2, 8.
praevecti et *praetervecti*. Vid. antea.
premo; ubi iterum (*mare*) preſſit 1, 1, 5. *antea* artatur; hinc atque illinc rupibus preſſus Araxes 3, 5, 5. ſpecus multum preſſus 1, 13, 4. *i. e. depreſſus, et hinc profundus. V.* III. 1. p 422.
pretium; pretium operae adtendentium abſolvit *prooem.* 1. formoſae in pretio ſunt 2, 2, 4.
pretioſus; quod minus eſt, pretioſius cenſent 3, 9, 1.
primo; Galliae ora primo nihil progreſſa in altum 3, 2, 1.
primo et *primum*. V. II. 3. p. 58.
primoris; primores 1, 8, 3. *obp.* vulgus.
primitius; primitias Delon mittere 3, 5, 2.
primitiva et *frequentativa*. Vid. ſuo l.
primus; in ea ora primum Artabri ſunt, deinde — 3, 1, 9. *Cod. Prag.* primi; primi hominum ab oriente (*ſc. ſitu*) 1, 2, 3. Cf. 1, 4, 4. Hominum primi ſunt Scythae 2, 1, 2. (*de ſitu*) prima eius (*frontis*) Aethiopes tenent 3, 10, 1. prima eius (*maris*) Partheni tenent 2, 3, 11. urbium prima 1, 18, 1. 2, 13, 12. prima nox 1, 8, 1.
princeps; urbs Ioniae totius belli pacisque artibus princeps (*Miletus*) 1, 17, 1. princeps Megarenſium 1, 19, 5. principum maximus (*Claudius*) 3, 6, 4. principum domus 1, 9, 9.
principium; principia Baeticae 2, 6, 7. Rubri maris 3, 7, 8. Nili (*i. e. ortus, fons*) 1, 9, 4. generis 2, 1, 11. annorum 3, 6, 1.
principum et *principium* in genitivo. V. II. 1. p. 361.
prior et *propior*. V. II. 1. p. 434 ſq. 569 ſqq. Cf. ad Eutrop. 10, 16. p. m. 800.
priſtinus; corpus 3, 8, 10.

pro; pro vero habere 1, 5, 2. pro aſylo eſt 1, 19, 20. Marti pro ſimulacris enſes dedicant 2, 1, 13. caro in pollinem usque contuſa pro ſarre eſt 2, 7, 1. pro flagitio habetur 3, 4, 3. capita pro poculis gerunt 2, 1, 9. ſi pro materia dicatur 2, 4, 2. cum Galliae pro conſule praeeſſet 3, 5, 8. *Vid. de forma* II. 3. *p.* 146. magnae aures pro veſte ſunt 3, 6, 8. pro eloquio nutus 3, 9, 4. pro victimis advenas caedere 2, 1, 11.

pro, *per* et *prae*. Vid. ſuis locis.

probus; probae formoſaeque in pretio ſunt 2, 2, 4.

procedere; nox 1, 8, 1. ut inde (*a Nilo*) procedit (*Africa*) 1, 4, 1. Hellas grandi fronte procedit 2, 3, 3. ut procedit Italia 2, 4, 1. quanto magis procedit Garumna 3, 2, 5.

procella; procellis expoſitum mare 3, 5, 3.

procelloſus; mare 3, 8, 1.

procerus; proceri et corpore ingentes 3, 7, 3.

proconſul et *pro conſule*. V. II. 3. p. 146.

procreare; benigniſſime fruges 3, 10, 5.

procul; intueri 2, 7, 15. et cum pavore aliquid fugere 2, 7, 22. faces admovere 2, 3, 5. procul a ceteris abeunt 3, 7, 3. procul a mari *de urbibus* 1, 6, 1. 1, 9, 9. 3, 2, 8. urbium, quae procul a mari habitantur, opulentiſſimae — 2, 4, 2. procul a litore 3, 1, 4. *Praepoſitio* a *in multis Cdd. deeſt*, *de quo cf.* II. 1. *p.* 221. procul inde 1, 13, 1. *De vi vocis*, *quae a particula* longe *ita discrepat*, *ut minorem ſeparationem a loco*, *quam* longe *indicet*, *cf.* III. 1. *p.* 149. III. 2. *p.* 257.

procurrere; Europa media procurrit 1, 3, 2. inter ipſum Hadriaticum et Tuſcum Italia procurrit 1, 3, 4. latus terrae in pelagus procurrens 3, 2, 7. terra inter Hellespontum Aegaeumque 2, 2, 7. Sicilia tribus promontoriis in diverſa 2, 7, 14. Pyrenaeus in Britannicum Oceanum 2, 6, 1. promontorium lata ſede procurrens 3, 1, 6. *Pro eo alibi dicit* extendi, excurrere. V. II. 1. p. 164 ſq.

procus; manent dominas proci 2, 2, 4.

prodere; proditum ſe ratus 2, 7, 15. proditum eſt carmine Homerico 2, 7, 6.

proelium; equeſtre inire 1, 19, 17. commenti Phoenices 1, 12, 1.

proficiſci; profecti in id, ut — 3, 6, 3.

profiteri; hi, quid dii velint, ſcire profitentur 3, 2, 3.

profluere; Corocondame in mare profluens 1, 19, 15. Iſter eodem impetu profluens 2, 4, 4.

profugere; Eudoxus cum Lathurum, regem Alexandriae, profugeret 3, 9, 3. *De ſtructura cum accuſativo vid.* III. 3. *p.* 393.

profugus; raptor 3, 5, 7. Aeneas 2, 2, 8. Hannibal ex Africa profugus 2, 7, 15.

profundere; Mauretaniae ora exterior quaedam frugum genera profundit etiam non ſata 3, 10, 5.

profundus; mare 3, 8, 1.

progenerare; Britannia quales progeneret 3, 6, 4. *ut alibi* gignere, ferre, provenire, generatrix. V. III. 3. p. 195.

progredi; longe progreſſus eques 3, 5, 7. terris in altum progreſſis 2, 3, 3. ora (*Galliae*) primo nihil progreſſa in altum 3, 2, 1.

progreſſus et *praegreſſus*. Vid. ſupra.

prohibere; niſi pabulo prohibeantur pecora 3, 6, 6.

proiicere; proiectum excipere 3, 5, 7. *Tum de ſitu terrae — poni ſolet pro* eminere, excurrere *vel* abire, porrigere. Vid. Duker. ad Liv. 44, 11, 3. ad Melam III. 1. p. 57 ſq. *Sic* proiecta ſine fine tellus 3, 5, 8. Britannia inter ſeptemtrionem occidentemque proiecta 3, 6, 4. promontoria vaſte proiecta in altum 1, 7, 2.

prolatare; prolatare, quae poſſident 3, 3. 2. 3, 6, 5.

prominere; prominet Graecia 1, 3, 4. Europa 1, 3, 2. *obp.* retracta; vaſte prominens Graecia 2, 3, 3. mons paene totus in mare prominens 2, 6, 8. Luſitania 3, 1, 6. pars, quae prominet 3, 1, 8.

promittere; ut initio promiſimus 2, 7, 1. *Tum ad ſitum, formam regionis refertur, ut* Gallia huc usque promiſſa 1, 7, 5. *ut quidam legunt pro* permiſſa.

promiſſu et *permiſſa*. Vid. ſupra.

promiſce; concumbere 1, 19, 10.

promiſco et *promiſcue*. V. II. 1. p. 607.

promontorium; Apollinis 1, 7, 2. Candidum *ib.* Mercurii *ib.* Iunonis 2, 6, 9. Sacrum 3, 1, 6. tenuia 2, 4, 8. Taurus adtollit 3, 7, 6. promontorio ſinus clauditur 1, 17, 3. includitur 2, 1, 3. Euboea extrudit ad meridiem — 2, 7, 9. Sicilia tribus promontoriis procurrit 2, 7, 14. Luſitania in tria diſpergitur 3, 1, 6. faſtigat ſe ac ſua latera *ib.* inſula duobus evecta in altum 3, 6, 1. ipſae terrae promontorio finiuntur 3, 9, 9. ſpectat *ſ.* vergit; *vid. h. v. De ſcriptura, utrum* promontorium *an* promuntorium *praeferri debeat, v.* II. 1. *p.* 202. 249. *et alibi. Poſterius praeferunt fere codices, etſi fere aucta litera exhibent* promunctorium. *Cf.* II. 1. *p.* 203. 247. 433. II. 2. *p.* 159.

promovere; ſe ac tuguria ſua promovent 1, 8, 4.

pronus; pronis directa in humum cornua officiunt (*de armentis*)

1, 8, 7. finus non pronus, ſed longe ac molliter flexus 1, 18, 2. *Cf.* III. 1. *p.* 524.

pronus et *parvus*. V. II. 1. p. 543.

propatulo; veſci 1, 19, 10.

prope; verum eſt, *i. e. vero eſt ſimile* 3, 7, 7.

propior; ſol terris propior 1, 9, 4. mari 1, 19, 16. 2, 2, 1. 3, 10, 6. Sardinia Etruſco litori 2, 7, 19. terris inſula 3, 6, 1. regionibus dictis 3, 8, 1. Tigris Perſidi 3, 8, 5.

propior et *proprior*. V. II. 1. p. 636. II. 2. p. 15. 582. II. 3. p. 153. 378.

propior et *prior*. Vid. *prior*.

propraetor; de proconſule vid. III. 3. p. 170.

proprie; proprie regio nomen Africae uſurpat 1, 7, 1. quos proprie Illyrios vocant 2, 3, 12.

proprius; propriarum rerum fidem bello adfectavit 3, 6, 4.

proprius et *propior*. Cf. antea *propior*.

propter et *praeter*. Vid. ſuo l.

prorſus; fignum fabulae clarum prorſus 3, 10, 5.

proſequi et *perſequi*. Vid. h. v.

profilire; tam citus profilit Padus 2, 4, 4.

proſpectare; urbs mare 1, 14. 1, 17, 3.

proſpicere; Pagaſaeus ſinus Scyron proſpicit 2, 7, 8. Baetica utraque maria 2, 6, 3. Britannia oſtia Rheni 3, 6, 4.

proſpicere et *perſpicere*. Vid. *perſpicere*.

provectus et *pervectus*. Vid. h. v.

proximo et *proxime*. V. II. 2. p. 180. ubi ſimilia adpoſui.

proximus; his (*populis*) Thracia proxima eſt 2, 2, 1. oſtio fluminis (*Tanais*) proximi Ixamatae 1, 19, 17. Rhipaeis montibus proxima 2, 1, 1. a Cervaria proxima eſt rupes 2, 6, 5. Thynias Mariandynorum finibus proxima 2, 7, 2. Chalybes proximi, *i. e. vicini* 1, 19, 9. *Sic* proximis nullae urbes ſtant 1, 8, 3. proxima regio 1, 18, 1. proximi parentes caedunt, *i. e. ſanguine* 3, 7, 3. gens habitu armisque Parthicae proxima, *i. e. ſimilis* 3, 4, 1.

prudens; prudentibus mendacii libidine viſum eſt tradere poſteris *obp.* veri ignorantia 2, 5, 7. prudentiores et quibus ars ſtudiumque ſapientiae contingit 3, 7, 3.

pubor; antequam puberes ſint 3, 3, 2.

pubere; pubentibus lucis 1, 13, 3. *Alii* pendentibus. V. II. 1. p. 443 ſqq.

pudicitia; infignis 1, 8, 8.

puellaris; puellaria penſa 3, 4, 3.

puericia; longiſſima 3, 3, 2.

puerperium; puerperia lugentur, natique deflentur 2, 2, 3.
pugna; navalis fuit 1, 14. nobilis fuit inter — 1, 19, 2. confici 3, 8, 9.
pugnare; mare, quo pugnatum eſt 1, 14.
pulcher; potari pulcherrimus (*de Borysthene*) 2, 1, 6. pulchri forma 3, 9, 1.
pulvis; ſerpentes adſpectum eius pulveris fugientes 2, 7, 22. humus cineri magis ſit, quam pulveri ſimilis 3, 7, 8.
pulverem et *pollinem*. V. II. 2. p. 473 ſq.
purus et *purvus*. Vid. h. v.
purpura; efficaciſſima ad tingendum 3, 10, 4.
putreſcere; putreſcentia membra 3, 8, 10.
pylae; Armeniae, Caſpiae. *V.* III. 1. *p.* 448. *et Geogr.*
pyramis; vid. 1, 9, 5.

Q.

qua; qua pugna fuit nobilis 1, 19, 2. niſi qua promontoria ſunt 1, 19, 6. qua exit Tyra 2, 1, 7. qua ſol oritur 2, 3, 3. qua ſui fontis aquis venit Atax 2, 5, 6. qua mare admittit *ib.* qua meridiem ſpectat 2, 6, 3. qua terris propior eſt 3, 6, 1. qua Hellesponto adiacet 1, 3, 1. niſi qua vident 2, 1, 10.
qua et *quia*. V. II. 1. p. 31 ſqq. 158.
qua et *quod*. V. II. 1. p. 401.
quadratus; quadrata undique Sardinia 2, 7, 19.
quaerere; mercede quaeruntur 2, 2, 4.
quam; *comparativum ſaepe praecedit*, *ut* aliquando, quam ubi latiſſima eſt longior 1, 1, 3. rurſus, quam fuit, artius exit in ſpatium 1, 1, 4. Mauretania ſolo, quam viris, melior 1, 5, 4. Numidia ſpatio, quam Mauretania, anguſtior 1, 6, 1. vitae ſpatium dimidio fere, quam nos, longius agunt 3, 9, 1. quam diu *pro* quam diutiſſime. V. II. 3. p. 118. Quam ut *poſt comparativum*, *ut* ſupra quam ut deſcribi facile poſſit 1, 13, 3. ſpatium, magis quam ut progredi quispiam auſit, horribile *ib.* clariores, quam ut indicari egeant, Athenae 2, 3, 4. donec ad frequentiora, quam adire audeant, raptor evadat 3, 5, 7. Atlas altius, quam conſpici poteſt, usque in nubila erigitur 3, 10, 1.
quam omiſſo antea *potius* vel *magis*. V. II. 3. p. 366.
quantus; in quantum res transeunt 2, 3, 13. quantum incolitur Africa, eximie fertilis 1, 4, 2. mons, prope quantum patet, ſpecus 2, 6, 8. Aradus, quantum patet, tota oppidum 2, 7, 6. ſpecus quantum demittitur, amplior 1, 13, 3. quanto magis

procedit (*Garumna*), eo latior ſit 3, 2, 5. *ubi quidam τὸ magis excludunt.* *Sic* quanto decreſcit, ea clarior fugat noviſſime noctem 1, 18, 4.

que; in ſine connexarum rerum modo ponitur, modo omittitur, V. II. 1. p. 587.

que et *ve*. V. II. 1. p. 21. 620.

queis et *quis*. V. II. 2. p. 75. 185. II. 3. p. 154. in primis II. 2. p. 12.

qui; in explicationibus verborum praecedens vocabulum genere reſpicit. V. III. 1. p. 111.

qui; duobus in nominibus diverſi generis prius ſequitur, ut *de Io is atque urbibus, quae mare non adluit* 2, 3, 4.

qui; omiſſo pronomine demonſtrativo eius praepoſitionem admittit, ut *ſe, in quae velint animalia vertere* 3, 6, 3. Sic quidam *in quae ſequuntur, emittit flumen* 1, 19, 3. pro *in ea quae*. V. II. 1. p. 567. Quod terrarum iacet a freto 1, 1, 6. gregibus, quod poteſt, parcitur 1, 8, 3. *i. e. quantum, quoad.* *Qua*, de quo antea. *Quis* et *queis*. Vid. *queis*. Quo magis penetrat, anguſtior (*ſinus*) 3, 8, 3. quo magis ſurgit Atlas, exilior 3, 10, 1.

quod et *quia*. V. II. 2. p. 474. 536. II. 3. p. 258.

quod et *quoad*. V. II. 1. p. 69. 290. II. 2. p. 27.

quid; ubi culpam prave quid imperando meruere 1, 19, 10. incertum ob decorem, an quid aliud 3, 6, 5.

quia et *qua*. Vid. ſupra.

quiddam; ſilva quiddam agreſte reſonans 1, 13, 3.

quidem; delubrum Iovis certamine gymnico — ipſo quidem tamen ſimulacro maxime nobile 2, 3, 4. *De connexu utriusque particulae vid.* II. 2. *p.* 200 *ſqq.*

quies; humi quies epulaeque capiuntur 1, 8, 3. illis (*Atlantibus*) in quiete (*ſomno*), qualia ceteris mortalibus, viſere non datur 1, 8, 5. quies ab armis 2, 1, 5.

quin; quin et ſubfuſum mare oſtenditur 2, 5, 7.

quingenti; anni 3, 8, 10.

quis et *queis*. Vid. ſupra.

quispiam, *quisque* et *quisquam*. V. II. 1. p. 453. ad 1, 13, 3.

quisquam; nec quidquam notius habet 3, 2, 7.

quisque; ut quisque plures interemerit 2, 1, 12. ut quique maioribus praeſtant 2, 1, 10.

quisque et *quisquis*. V. II. 1. p. 59.

quisquis; quidquid eſt 1, 1, 1. *Differt a quidquid id eſt. V.* II. 1. *p.* 9 *ſqq.*

quoad; quoad Taurici litora tenent 2, 1, 4. quoad campos Armeniae fecat (*Araxes*) 3, 5, 5.
quoad et *quod*. Vid. supra.
quodammodo; atrae gentes et quodammodo Aethiopes 5, 7, 5.

R.

r et *e*, ut *Aegipanes* et *Argipanes*. V. II. 1. p. 191.
r et *rh*, ut *Dyrrhachium* et alia, quae vid. II. 2. p. 274.
rabies; rabiem adpropinquantium aftu fruftrari 3, 5, 7.
radix; tenui radice terra litori adnectitur, *i. e. per iſthmum anguſtiſſimum* 2, 1, 5. in radicem magnae paene inſulae ſedens Lyſimachia, *i. e. ubi paene inſula incipit in altum excedere*, 2, 2, 6. radix promontorii, *i. e. initium* 3, 1, 7. *Cf. alibi cervix*, *agger*. Imae radices Veſuli montis 2, 4, 4. *Cf.* 3, 5, 6.
rapidus; mare 2, 7, 9.
raptor; profugus 3, 5, 7.
rarus; urbes 2, 5, 3. ſtationes 1, 19, 6. portus 2, 5, 3.
ratio; negotiorum (*proprie*) 3, 2, 3.
ratus; terra ſine pernicie et rata eſt 2, 7, 22. ratus ſe proditum 2, 7, 15.
ratus, *rarus* et *tutus*. V. II. 2. p. 608.
re in compoſitis cum *rurſus*, ut *rurſus renaſcitur ex ſe* 3, 8, 10. Similia vid. II. 3. p. 304.
recedere; meatus maris recedunt atque adventant 3, 1, 2. terra 3, 1, 7. orae paullatim 3, 1, 10. *Cf.* 3, 8, 2. Ripae longe lateque 3, 2, 8.
receſſus; grandi receſſu abducitur (*Europa*) 1, 3, 2. Arabici ſinus receſſus 5, 8, 3. intimus 1, 13, 1. magnus receſſus litorum 2, 3, 11. modici (*de ora*) 3, 1, 9. in receſſu poſita urbs 1, 16, 2.
receſſus et *recurſus*. V. II. 3. p. 191.
receſſus et *ſeceſſus*. V. II. 2. p. 265.
recens; caro 3, 3, 2. Nepos ut recentior, ita auctoritate certior 3, 5, 8.
recidivus; ſemina 3, 6, 2. *Cf.* III. 3. *p.* 183.
recidivus et *redivivus*. V. III. 3. p. 183. Heyne ad Virgil. Aen. 4, 344. et alii.
recipere; mare in ſe 3, 1, 6. mare Caſpium Aſia 1, 2, 1. maria quatuor ex Oceano 1, 1, 3. mare per ſinus 2, 4, 8. Aſia ſinum 2, 7, 5. palus amnem 1, 7, 4. flexus fluvios 3, 1, 8.
reciprocare; reciprocata maria 3, 1, 2.
reciprocatus et *reciprocus*. V. II. 3. p. 8.

reciproce dicuntur multa activa. Vid. hac v.
rectus; ripa, *i. e. aequalis* 3, 1, 7. 3, 6, 1. Pontus longo rectoque limite extentus 1, 19, 6. margo 3, 1, 7. ora 2, 2, 5. 3, 1, 3. 9. tractus 3, 2, 1. alveus 3, 5, 3. litora 3, 7, 5. utrumque latera 3, 8, 2. Indus rectus solidusque descendit 3, 6, 7. *Cf. de sensu vocis* III. 3. *p.* 175.
rectus, *tectus* et *tractus*. V. II. 1. p. 576.
recursus; alterni accessus recursusque pelagi 3, 6, 8. *al.* recessus. *Vid. supra.*
reddere; Nilus se sibi reddidit, *i. e. in alveum rediit* 1, 9, 3. obscoena intimis aedium reddunt (*Aegyptii*) 1, 9, 6. paene insulam mare reddit 2, 1, 4. formam capitis humani (*de sinu Persico*) 3, 8, 2. *Similia* III. 3. *p.* 288.
redigere; flexum paludis ad Pontum redigit ora 1, 3, 1.
redimere; se urbe (*de capto*) 1, 18, 2.
redimire; redimiti sertis 3, 5, 2.
redire; redit in semet ipsum mare 3, 1, 1. flexus tantum, quantum processerat 1, 9, 5. cursus incepti operis illuc, unde coeperit, redit 1, 4, 5. redeunt animae obeuntium 2, 2, 3.
reducere; frons (*Lusitaniae*) iterum reducta 3, 1, 6. *antea* recedere.
refercire; sinus insulis refertus 3, 3, 4. belluis mare 3, 5, 3. locus adparatis epulis semper refertus 3, 9, 2.
referre; Aegyptii annalibus certis referunt 1, 9, 8. inter epulas referre 2, 1, 12. qui plurimos retulere *ib.*
refluere; refluens et adfluens pelagus 1, 7, 3.
refugere; refugientia litora 2, 14. *Cf. supra* recedere. Pelagus refugit 3, 1, 1. Aegyptus ad meridiem refugit 1, 9, 1. *ubi cf.* III. 1. *p.* 245.
regerere; undique retractam undam 3, 1, 2.
regia; Iubae 1, 6, 1. regiae duodecim *in labyrintho* 1, 9, 5.
regio; ignobilis 1, 5, 4. sacra 1, 17, 2. incultior 2, 1, 12. ditis soli 2, 1, 11. in latum patens 1, 19, 15. excurrit inter — *ib.* e regione promontorii 2, 7, 21.
regiones et *populi* in connexu ponuntur. V. 2, 3, 12. 2, 4, 2.
regionis nomina sine praepositione in obliquis. Sic *Aegyptum tendere* 3, 8, 9. Cf. II. 3. p. 301.
regius; mores 2, 1, 11. Cf. de sensu dubio III. 2. p. 54.
regnare; Thracia Rhesо regnata 2, 2, 6.
regnum; novem regna sepit Cyprus 2, 7, 5. Macar insulas suo suorumque regno occupaverat 2, 7, 4.
religio; titulum eius aras cum religione plurima retinent 1, 12, 3. religio templi 3, 6, 2.

relinquere; rebus in ſolitudine relictis 3, 7, 1.
reliquum; in reliquum pudicitia inſignis eſt 1, 8, 8.
reluctari; ne reluctentur, vix vinculis poſſunt contineri 3, 9, 5.
remanere; remanet ſignum fabulae 2, 2, 9.
remeare; ambeges huc et illuc remeantes 1, 9, 5. Achivi capto Ilio remeantes 2, 2, 11. acceſſus Oceani retro 3, 2, 5. per Tanaim in Maeotida remeantes (*retro navigantes*) 2, 1, 1. rurſum et ſaepius remeant 3, 5, 7.
remedium; eſt 3, 9, 2.
renaſci; phoenix ex ſe rurſus 3, 8, 10. *al.* enaſci. V. II. 3. p. 304.
renovare; carnem rigentem ſubigendo pedibus manibus renovare 3, 3, 2.
repetere; curſum 3, 5, 7. repetere altius ſummam *prooem.* 2.
repetitae voces modo obtruduntur, ut 2, 7, 3. *magis*, modo negliguntur, ut *magis* 2, 6, 2. *iterum* 2, 9, 2. Cf. de *iterum* II. 1. p. 59. ad 1, 2, 2. De repetitis iisdem vocibus interpoſita alia vid. diſſert. de Mela cap. 6. p. 41 ſq.
replere; effoſſa 3, 10, 5.
requirere; requirendo cognoſcere 3, 5, 8.
res; priorum rerum excidio, quam ope praeſentium clarior Carthago 1, 7, 2. hac re accreſcit Nilus 1, 9, 4. *i. e. ob eam cauſam, uti dicitur* 1, 13, 1. 2, 4, 4. 2, 7, 1. 3, 3, 4. ſi in res fuit 2, 7, 6. in quantum res transeunt 2, 3, 13.
res paſſim intruditur ex gloſſa. V. II. 2. p. 494. II. 3. p. 47 ſq. *hac re* et *acre*. V. II. 3. p. 98.
reſidere; maria reſidunt in ſpecus 3, 1, 2.
reſiſtere; Luſitania primum ingenti impetu in altum abit, deinde reſiſtit 3, 1, 6.
reſonare; ſilva quiddam agreſte reſonans 1, 13, 3.
reſpicere; Italia altero cornu Ionium pelagus 2, 4, 1. frons litorum ad 3, 2, 7.
reſtare; quod reſtat, Aethiopum eſt 1, 2, 4. reſtat pelagus 3, 5, 8.
reſupinus; reſupinus homo, imagine iacentis 3, 10, 5.
retinere; aras titulum retinent 1, 11, 3.
retrahere; ſinus retrahens paullum oras 1, 18, 2. Europa ad Fretum vaſte retracta 1, 3, 2. *obp.* prominens *ib.* unda retracta 3, 1, 2.
retro; abire 3, 4, 1. remeare 3, 2, 5. abscedit Hiſpania 3, 2, 1. latera abſtrahit Britannia 3, 6, 4. retro fluentia flumina 3, 6, 5.
retroagere; vaſta flumina (*de pelago*) 3, 1, 1.
reverti; reverſus ex Graecia 1, 18, 1.
revocare; viae — revocatis ſaepe porticibus ancipites 1, 9, 5.

rex; reges ſuffragio deligunt 1, 19, 10. reges populorum fert Britannia 3, 6, 5.
rigere; per meridiem fons maxime riget 1, 18, 1. rigens caro 3, 3, 2.
rigor; intolerabilis 3, 5, 1. brumali durantur flumina 1, 19, 18.
ripa; ſolutae nives largius, quam ripis accipi queant, defluunt 1, 9, 4. ripae Nili amnis 1, 2, 2. et 6. fluminis Ampſaci 1, 6, 1. flumina ripas excedunt 2, 1, 14. Euphrates acceptis ripis celer 3, 8, 5. *obp.* fine alveo patulus; Aſia fit ripa, qua Tanais eſt 1, 2, 2. *antea* litora; ſubit ripam mare 2, 1, 4. mare, (*de ſinu Codano*) qua litora adtingit, ripis contentum inſularum 3, 3, 4. ripae potius ſunt, quam litora 3, 9, 3. *Nempe* litus *ad mare refertur et latius valet*, ripa *ad flumen proprie, deinde ad mare, quod litus habet anguſtium, ut flumen. Sic et in aliis locis occurrit, ut* frons illa rectam ripam habet 3, 1, 7. qua terris propior eſt Gades, paene rectam ripam agit 3, 6, 1. inflectere, irrumpere ripas (*de rubro mari*) 3, 8, 1. ripis longe ac late recedentibus (*de Rheno*) 3, 2, 8. *Tum* ripae *ſaepe de uno flumine dicuntur, pro ripa alterutrius partis, ut* 1, 6, 1. 1, 19, 19. 2, 2, 8. 3, 3, 1. *V.* II. 1. *p.* 54 *ſq.* *De discrimine inter* litus *et* ripa *vid.* II. 2. *p.* 21. II. 3. *p.* 330 *ſq.*
riſus; riſu ſolvi in mortem 3, 10, 2. in riſu ſummum bonum eſt Tibarenis 1, 19, 10.
ritus; aſperior 2, 1, 12. ad ritum noſtrum morati cultores 1, 8, 3.
rivus; tenuis 3, 8, 5. fluitantes 1, 13, 3.
rogus; ad rogos arma opesque deferre 2, 2, 4. ſe in rogos immittere 3, 2, 3.
rotundare; flamma ſe rotundat 1, 18, 4.
ruere; Tanais praeceps ruit 1, 19, 18.
rumpere; ubi marginem rupit Euphrates 3, 8, 5.
rupes; rupes auſtro ſacra 1, 8, 1. continuae 1, 19, 20. Atlas inciſis rupibus praeceps 3, 10, 1. Araxes rupibus hinc atque illinc preſſus 3, 5, 5.
rurſum; rurſum ſpecus alter aperitur 1, 13, 3.
rurſus; rurſus ab illis (*litoribus*) colligitur in medium 3, 1, 1. rurſus ex ſe renaſcitur (*phoenix*) 3, 8, 10. deinde rurſus (*in altera libri parte*) — expediam *prooem.* 2.
rurſus et *rurſum*. V. II. 3. p. 6.
rurſus cum verbis ex *re* compoſitis. V. II. 3. p. 304.

S.

S modo demitur, modo additur in multis nominibus, ut *Salmydeſſos* et *Halmydeſſos*. Cf. II. 2. p. 94 ſq. Sic Σύργις et Τργις apud Herodot. 4, 57. et 123.

ſ duplicatur ſaepe, ut *Parnaſſus*, *Nyſa*.

ſ et *x*, ut *mos* et *mox*, (vid. *mos*) *Axiaces* et *Aſiaces*. (II. 1. p. 44. ad 2, 1, 7.)

ſacer; ſpecus totus anguſtus et vere ſacer 1, 13, 3. ſacra regio 1, 17, 2. ſpecus ſacer Herculi 1, 5, 2. Iovi mons 3, 7, 4. fons 2, 3, 5. nemus 2, 3, 2. arae ſacrae Auguſti nomine 3, 1, 9. ſacri habentur Arimphaei (*i. e. inviolabiles*) 1, 19, 20. funera feſta ſunt, et, veluti ſacra, cantu luſuque celebrantur 2, 2, 3. ſacris operari Apollinis 3, 5, 2. ſacra Liberi patris 2, 2, 2. Sacrum promontorium. *Vid. Geogr.*

ſacrare; ſpecus Nymphis ſacratum 2, 1, 3.

ſacrilegium; nefas et pro ſacrilegio habent 3, 6, 10.

ſaevire; de auſtro 1, 8, 1. de pelago 3, 2, 5.

ſaevus; Nilus 1, 9, 2. hoſpitium Scironis 2, 3, 7. fretum Siculum 2, 7, 14. nomina *ib.* hiems 3, 3, 2. mare 3, 5, 3. ferae 3, 2, 9. ferarum genus 3, 5, 7. ob ſaeva hiemis 2, 1, 10.

ſagitta; arma tantum ſagittae 2, 1, 11. ſagittis depugnare 1, 19, 17.

ſagum; ſagis velari 1, 8, 3. viri ſagis velantur 3, 3, 2.

ſalſus; ſalſiores aquae, quam marinae ſint, *obpon.* dulces, 2, 5, 7.

ſaltus; amoeni 3, 10, 4. abditi 3, 2, 3. Ceraunii 3, 8, 10. Oetaeus 2, 3, 2. abundant citro 3, 10, 4. Britannia fert nemora ſaltusque 3, 6, 5.

ſaltibus et *ſaltubus*. V. II. 3. p. 310.

ſaltus et *lacus*. Vid. ſuo l.

ſaluber; ſalubris terra 3, 2, 2.

ſalum; oppidum portu ſaloque incingitur 1, 13, 2.

ſanare; quae apud alios inſanabilia ſunt 3, 6, 3.

ſanctitas; delubrum ſanctitate nobile 2, 3, 4.

ſanctus; templum 3, 6, 1. virginitate perpetua ſanctae 3, 6, 3.

ſanguis; ſanguinem exemtum deguſtant 2, 1, 12.

ſapientia; ſapientiae magiſtri 3, 2, 3. quibus ſapientiae ſtudium contingit 3, 7, 3.

ſapor; ſapor optimus eſt piſcibus 2, 1, 16.

ſatiare; ubi contemplari duravere, mentes non ſatiat 1, 13, 3.

ſatietas; vivendi 3, 5, 2.

ſatis; Atlas ſatis denſe conſurgens 3, 10, 7. ſatis longe a litore 1, 6, 2. altior, quam ad navigandum onuſtis navibus ſatis eſt

(*de lacu*) 1, 9, 5. Taurus vaſte ſatis adtollitur 1, 15, 2. ſatis cognitum eſt 3, 1, 2.

ſauciare; ſauciant ſe, qui pacifcuntur 2, 1, 12.

ſaxum; ſaxa adtrita fluctibus 1, 6, 2. Scironia ſaxa 2, 3, 7.

ſcatere; piſcibus (*de Nilo*) 1, 9, 3. feris 3, 7, 1. 6. vario genere hominum aliorumque animalium ſcatet 3, 7, 2. malefico genere ſerpentium 2, 7, 22. Vid. de h. v. III. 1. p. 268. ſ. et diſſ. de Mela cap. 6. p. 36.

ſcindere; ſe in ſeptem ora (*de Nilo*) 1, 9, 2. Italia in duo cornua ſcinditur 2, 4, 1. et 8. Himera (*fl.*) ſcindit Siciliam 2, 7, 17.

ſcindere et *findere*. Vid. *findere*.

ſcire; ventura 3, 6, 3.

ſcopulus; monumentum ſcopulo impoſitum 3, 1, 4.

ſe; ſaepe omittitur in activis. Vid. ſupra *activa*.

ſe paſſim a codicibus obtruditur. V. II. 1. p. 53. II. 2. p. 451.

ſe ipſe ſ. *ſe ipſum*. Vid. *ipſe*.

ſecare; ſecant ora oſtia 1, 9, 9. Armeniae campos Araxes 3, 5, 5. agros Euphrates 3, 8, 5. flexum Maeotidos Buces amnis 2, 1, 2.

ſecundum; ſecundum (*i. e. prope*) Calbim amnem Caunus oppidum 1, 16, 1. *Sic* Boryſthenes ſecundum Boryſthenida egreditur 2, 1, 6. ſecundum Halyn urbs eſt 1, 19, 9. ſecundum (*antea* iuxta) Boeterras Orbis fluit 2, 5, 6. Tamaris ſecundum Ebora portum 3, 1, 8. (*poſt* iuxta). Cf. III. 2. p. 33.

ſed; in obpoſitione ſaepe omittitur, ut 3, 3, 2. Cf. II. 3. p. 270 ſq.

ſedare; ſedavit Nilus diluvia 1, 9, 3.

ſedere; Aethiopes ultra ſedent 3, 9, 1. *i. e. habitant, uti et cognata ponuntur. V.* III. 3. *p.* 380. Cyzicus in cervice paene inſulae ſedet 1, 19, 2. *ubi vide notata* III. 1. p. 554. Lyſimachia in radicem paene inſulae 2, 2, 6. Ancona in anguſto duorum promontoriorum 2, 4, 5. arae in paene inſula 3, 1, 9. ubi perpetuae hiemes ſedent 3, 5, 1. Euphrates diu ſedentibus aquis piger 3, 8, 5.

ſedere et *cedere*. Vid. *cedere*.

ſedere et *ſidere*. V. II. 2. p. 260.

ſedere et *ſecedere*. V. II. 3. p. 271.

ſedes; ut ſedere *antea ſaepe dicitur*. *Sic* demerſae in humum ſedes 2, 1, 10. Carmanii ſine ſedibus 3, 8, 4. Sarmatae ſtatis ſedibus ſe non tenent 3, 4, 1. pro ſedibus plauſtra habent Hamaxobioe 2, 1, 2. ſine tectis et ſedibus paſſim vagi 1, 4, 4. ibi ſedem capeſſere 1, 19, 1. ſtatae gentis 3, 4, 1. ut pabula durant, ita diu ſtatam ſedem agunt 2, 1, 11. ſedes habitan-

tium nullae 3, 9, 6. mirum, quam facile Maſſilia ſedem alienam ceperit 2, 5, 3. Pallene quinque urbium ſedes eſt 2, 8, 10. ſedem ſuper aliena tecta ponere licet (*in Arado inſula*) 2, 8, 10. *Cf. de domiciliis* III. 3. *p.* 380. *de fundamentis, areis locorum* III. 1. *p.* 554. *ut* promontorium lata ſede procurrens 3, 1, 6. Pyramis quatuor fere ſoli iugera ſua ſede occupat 1, 9, 5.

ſeditio; eos exegit ex inſula 1, 18, 2.

ſeges; ſegetem novare 3, 6, 8.

ſegnis; animus ne feminis quidem 2, 2, 4.

ſegnitia; gentis *al.* ſegnities 1, 5, 4.

ſemel; iterumque 1, 3, 2. 2, 4, 8. 3, 1, 3. ſemel ſata frumenta 3, 6, 2.

ſemen; ſemina recidiva 3, 6, 2. maturare 3, 6, 6.

ſemifer; ſemiferi homines 1, 4, 4.

ſenoctus; ubi inceſſit 3, 7, 3.

ſeparare; fluvius ſeparat regiones 2, 6, 3.

ſepelire; 1, 9, 7. ſimul ſepeliri 2, 2, 4.

ſeptem; fratres *de ſeptem montibus continenter expoſitis* 1, 5, 5.

ſeptemtrio; qua ſol decurrit, meridies; ab adverſa parte, ſeptemtrio 1, 1, 1. neuter 3, 7, 2. *Vox obvia in ſingulari et plurali, qui numeri in MSStis ſaepe etiam variantur. V.* II. 2. *p.* 150. II. 3. *p.* 38. 79.

ſepties; die ac ſepties nocte 2, 7, 9.

ſepulcrum; Aiacis 1, 18, 5.

ſequi; oras ad Eurum (*de navigantibus*) 3, 9, 3. ſequuntur vagi pecora 1, 8, 4. pabula pecorum 2, 1, 11. ſequentia litora 1, 2, 6. Olympus flumen Rhyndacum in ea, quae ſequuntur, emittit 1, 19, 3. ſequentes ea, quae exeuntibus dextra ſunt 3, 1, 3. ut cedens et ſequens hoſtis exigit 3, 4, 2. auctores, quos ſequi non pigeat 3, 6, 8.

ſerere; Thracia eorum, quae ſeruntur, maligne patiens 2, 2, 1. quidquid ex ſatis frigoris impatiens eſt 3, 2, 2. frugum genera cum ſeruntur, benigniſſime procreat Mauretania 3, 10, 5. ſata frumenta 3, 6, 2. ſatae fruges 3, 8, 8.

ſeries. Vid. *ordo*.

ſerpens; ſerpentes parvi et veneni admodum praeſentis 3, 8, 9. ſerpentibus aluntur Troglodytae 1, 8, 6. Ophiophagos vocant, quia ſerpentibus veſcuntur 3, 8, 8. maleficum ſerpentium genus 2, 7, 22. immanes 3, 7, 2. ſerpentibus infeſta loca 3, 10, 1.

ſerpentes proprie ſunt terrarum, *angues* aquarum. V. III. 3. p. 365.

ſerpentium an *ſerpentum*. V. II. 3. p. 500. Ita *ſerpentum* malim 2, 7, 22.
ſerpere; ſerpere potius, quam ingredi 3, 10, 3.
ſertum; ſertis redimiti ſe in pelagus praecipites dant 3, 5, 2.
ſervare; patrios deos, *i. e. retinere* 1, 8, 3. mandatum literis 1, 9, 8. quae gignuntur, Diis ſervanda exiſtimant 3, 6, 10. Padus ſuum etiam alveum in mari ſervat 2, 4, 4.
Si an ſignificet etiam *poſtquam*, vid. II. 3. p. 334.
ſi; credere libet 1, 4, 4.
ſi non — at. Vid. *at*.
ſi et *ſic*. V. II. 2. p. 23. II. 3. p. 334.
ſiccare; ſiccata caro ſole 2, 7, 1.
ſiccus; ſiccae regiones 1, 11, 2.
ſicubi; ſicubi ob penuriam aquarum effeta linum tamen alat 2, 6, 2.
ſidus; aeſtivum 1, 9, 3. *i. e. ſol*; ſiderum motus 3, 2, 3. ſiderum cardo 3, 5, 1. ſidera quater curſus ſuos verterunt 1, 9, 8.
ſignare; portus ſignatus Laconicae claſſis excidio 2, 2, 7. *i. e. inſignis*. *V.* III. 2. *p.* 180.
ſignificare; ſignificans idem vocabulum 1, 5, 1.
ſignum; fabulae remanet 2, 2, 9. cf. 3, 10, 3. eo ſigno accolae adfirmant 1, 11, 3.
ſilentium; vaſtum 3, 9, 6.
ſilere; ſilens labitur fluvius (*de Araxe*) 3, 5, 5.
ſilva; opaca ſilvae 1, 13, 3. frequentare, *i. e.* habitare 3, 10, 6. Syrcae vaſtas ſilvas occupant 1, 19, 19. ſilvae lanas ferunt 3, 7, 2. ſilvas terrae fernnt 2, 1, 5. ſilva generat odores 3, 8, 7.
ſimilis; alter Ponti angulus Phaſiaco 2, 2, 3. corporibus ſimiles Aethiopes 3, 9, 7. Creta Cypri ſimilis 2, 7, 12. (*al.* Cypro) lacus Ponto 1, 19, 16. incendio 1, 18, 4. nusquam mari ſimile 3, 3, 4. Britannia maxime Siciliae 3, 6, 4. ſui fluvius 1, 19, 18. 3, 2, 8. magni freti *de Garumna* 3, 2, 5. ſimilis ebrietati hilaritas 2, 2, 4. humus cineri magis ſit, quam pulveri ſimilis 3, 7, 8. *Structura promiſcua cum genitivo et dativo*.
ſimilis et *ſimul*. V. II. 2. p. 81.
ſimilitudo; formae 1, 8, 7.
ſimplex; alveus 3, 1, 5. laevusque Nilus 1, 9, 1.
ſimplex et *compoſitum* ſaepe commiſcentur.
ſimul; ſimul unum alveum fecit Ganges 3, 7, 6.
ſimul et *ſimilis*. Vid. antea.
ſimulacrum; Iovis 2, 3, 4. Marti pro ſimulacris enſes dedicant 2, 1, 13.
ſine; ſinus ſine nomine 1, 19, 4. Carmanii ſine veſte ac fruge, ſine pecore ac ſedibus 3, 8, 4. ſine ſono linguae 3, 9, 4.

finere; ſol finit integrum ſurgere Nilum 1, 9, 4.
ſingularis; coniective, *ut ſine veſte — pecore* 3, 8, 4.
ſingularis adpellativi, ut *urbs*, *flumen* — ubi plura propria ſequuntur. V. II. 2. p. 299 ſq. Sic verbum in ſingulari plura praecedit, ut 2, 3, 10.
ſingularis; ſingulari ingenio ſpecus 1, 13, 3. ſingularibus ingeniis praeditae 3, 6, 3. fera ob vim ſingularem referenda 3, 9, 9. delubrum ſingulari ſanctitate nobile 2, 3, 4. ſingulare ingenium fontium 3, 10, 2.
ſinguli; alvei 3, 1, 5. queis ſinguli oculi eſſe dicuntur 2, 1, 2.
ſiniſter; ad ſiniſtram amnis (Rheni, *obp.* ad dextram) 3, 2, 8. *Cf.* 3, 5, 8. ſiniſtra parte, *obp.* ad dextram 2, 4, 2.
ſinuare; Ionia ſe aliquot ambagibus ſinuat 1, 17, 1. ſinuatus Pontus 1, 19, 6.
ſinus; non pronus, ſed longe et molliter flexus 1, 18, 2. importuoſus, atrox, infeſtus 1, 7, 3. ingens 2, 3, 1. intimo in ſinu 2, 3, 13. modicus ſpatio 2, 4, 7. amplectitur urbes 2, 3, 6. incingit urbem 3, 1, 9. admittit, excipit mare 3, 1, 9. grande pelagus admittit 2, 3, 10. magno ore pelagus accipit 2, 6, 6. accipit mare 3, 8, 2. arcuat mare 3, 8, 1. Syrtis ſinus mare accipit, cingit 1, 7, 3. Aſia grandem ſinum accipit 1, 12, 4. *Cf.* 2, 7, 5. *ubi* recipit; efficiunt promontoria tria duos ſinus 1, 7, 2. Lycia Sidae portu et Tauri promontorio grandem ſinum claudit 1, 15, 1. promontorium, quo ſinus clauditur 1, 17, 3. promontorium ſinum altera parte efficit *ib.* promontoriis includitur 2, 1, 3. promontorio in duos ſinus ſinditur pelagus 2, 6, 6. incinctus litore Apulo 2, 4, 7. inflectitur ad 3, 1, 5. oppidum praetervectos promontorium excipit 1, 18, 2. ſinu (*proprie*) abdere flammas 3, 9, 4.
ſitis; ſitis coeli terrarumque 1, 4, 2. Cf. III. 1. p. 108.
ſitis et *ſitus*. V. II. 1. p. 182.
ſitus; ſitum orbis dicere *procem.* 1. oras ſitusque dicere 1, 4, 5. Aſiae 2, 1, 1.
ſitus; ſita urbs in litore 2, 2, 8. 2, 3, 9. ſitus ibi eſt Achilles 2, 7, 2. ſita ibi oſſa Herculis 3, 6, 1.
ſocietas; Atticae fides 2, 3, 8.
ſol; caro piſcium ſole ſiccata 2, 7, 1. ſol hieme terris propior 1, 9, 4. bis occidit, unde oritur 1, 9, 8. Cf. 2, 3, 3. ſurgit 1, 8, 1. exſurgit 3, 6, 9. altius ſe evehit 3, 6, 9. Solis fons 1, 8, 1. Solis urbs 3, 8, 10. ſolem exſecrantur Atlantes 1, 8, 5. Ida orientem ſolem aliter oſtentat 1, 18, 4.
ſolemnis; ſolemne eſt feminis 1, 8, 8. ubi (*animalia apud Aegyptios*) exſtincta ſunt, ſepelire ac lugere ſolemne eſt 1, 9, 7.

ſolere; ſolent imbres ſpargi 3, 10, 5. uti ſolent *ſc. fieri ſ. eſſe* 1, 6, 2. Cf. III. 1. p. 159. Atax usque eo ſolitus inſurgere 2, 5, 6. ſolitum et facile eſt 3, 6, 7.

ſolidus; procedit Aſia, *i. e. non diviſa, mari non interrupta* 1, 2, 1. Cf. III. 1. p. 59. diu Italia 2, 4, 1. *Saepe de fluviis, ut* Rhenus diu ſolidus et certo alveo lapſus 3, 2, 8. *obpon.* diſpergitur; ſolidus deſcendit (*de Indo*) 3, 7, 6. *Alias de Nilo* ſimplex, *ubi obp.* diffunditur 1, 9, 2.

ſolitudo; in ſolitudine rebus relictis 3, 7, 1. mortem in ſolitudine exſpectant 3, 7, 3. in diem vaſta ſolitudo 3, 9, 6.

ſoliers; hominum genus 1, 12, 1. *De ſcriptura vid.* II. 1. *p.* 308.

ſollicitus; nihil ſollicitos re 3, 10, 2. *De ſcriptura vid.* II. 3. *p.* 36.

ſolſtitium; ſolſtitio accreſcit Nilus 1, 9, 4. ſolſtitio nullae noctes apud Hyperboreos 3, 6, 9.

ſolvere; ſolutis nivibus 3, 2, 5. ſolutae magnis aeſtibus nives 1, 9, 4. in mortem riſu 3, 10, 2. ſolvitur phoenix 3, 8, 10. inde Argo navem ſolvere 2, 3, 6.

